

SCHEMATISMUS

HISTORICUS

VENERABILIS CLERI

DIOECESIS


MAGNO-VARADINENSIS GRAECI RITUS CATHOLICORUM

PRO ANNO JUBILARI

1900

A RESTAURATA AUTEM SACRA CUM SANCTA ROMANA ECCLESIA UNIONE ANNO

200.



MAGNO-VARADINI.

TYPIS SAMUELIS BERGER JUN.

1900.

PATRONUS

DIOECESIS MAGNO-VARADINENSIS

GR. R. CATH.

S. NICOLAUS

ARCHI-EPISCOPUS MYRENSIS.

ORDINARIUS:

EXCELLENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS

DOMINUS

MICHAEL PAVEL

DE PETERITYE

MISERATIONE DIVINA ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA EPISCO-
PUS MAGNO-VARADINENSIS GRAECI RITUS CATHOLICORUM, COMES
ROMANUS, SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS, SVAE SANCTITATIS SUMMI
PONTIFICIS PRAELATUS DOMESTICUS, S. CAES. ET REG. AP. MAJE-
STATIS ACTUALIS INTIMUS STATUS CONSILIARIUS, INSIGNIS ORDI-
NIS FRANCISCI JOSEPHI I. EQVES ETC.

IN SERIE EPISCOPORUM DIOECESANORUM: VII.

SPICILEGIUM HISTORICUM

DIOECESIS.

Restauratae per majores nostros, anno Reparatae Salutis 1700 Sacrae, cum Sancta Romana Ecclesia Unionis, ducentennariam pie recolentes memoriam: ipsa, tantae divinae bonitatis magnitudo, qua nos, per Sacram Unionem, Suorum charismatum voluit esse participes, perennis est pro nobis, eaque inexhaustibilis et nunquam intermittenda occasio, ut pro tanto beneficio sempiternas Deo referamus gratias, cum secundum Constitutionem Apostolicam »Cum multum diuque« Sanctissimi Domini Nostri LEONIS XIII. divina Providentia Pontificis Maximi »munus »a Deo nullum possit vel hominibus singulis, vel civitatibus dari majus, quam ut ejus beneficio et accipiant catholicam veritatem, et acceptam cum perseverantia retineant.« — Quemadmodum enim idem Summus Pontifex Constitutione Apostolica »Immortale Dei« attentos nos reddit: »Quaecumque Ecclesia vestigium posuit, continuo »rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit; quam »quotquot acceperere populi, mansuetudine, aequitate, rerum »gestarum gloria excelluerunt.« — Luculentissimus autem hujus rei testis est ipsa haec Provincia nostra ecclesiastica Alba-Julienensis et Fogarasiensis Graeci Ritus Catholica, cujus membra, usquedum a Centro Unitatis Catholicae avulsa, in coeno lamentabilis schismatis volutabantur, veluti qui »in tenebris et in umbra mortis sedent« (Luc. I. 79.) tantis erant errorum, vitiorumque ambagibus et la-

queis irretiti, ut inde, per Sacram Unionem feliciter extricatis, vere »sudentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.« (Matth. IV. 16.)

Cum autem de restaurata anno 1700 S. Unione fit sermo: non id hoc significat, ac si majores nostri, eo primum anno, verae fidei et Ecclesiae Christi participes facti sint. Majores enim nostri ante detestabile schisma per Photium Saeculo IX. ad finem vergente inchoatum, per Michaelem Caerularium Saeculo XI. instauratum, et per Marcum Ephesinum saeculo XV. consummatum, jam per saecula, has easdem etiam incoluerunt oras, quas Provincia haec nostra ecclesiastica complectitur.

Nequit autem in dubium vocari, quominus Legiones ipsae Romanae, jam ab ipsis primordiis Saeculi II., quando has invaserunt et postmodum occuparunt regiones, secum ab Occidente attulerint eam Fidem, de qua Apostolus ad Romanos scribens, ait: »Primum quidem gratias ago Deo »meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides »vestra annunciat in universo mundo« (Rom. I. 8.), quam Fidem, primis praesertim Ecclesiae saeculis, mira celeritate propagatam fuisse, omnibus compertum est. Sanguis enim ipse Martyrum, aiente Tertulliano, erat semen Christianorum.

Longum esset, atque prorsus difficile, quod nec propositum nostrum postulat, singillatim recensere omnia illa historiae monumenta, quae Romenorum sive Valachorum jugem, cum Sancta Romana Ecclesia fidei et charitatis communionem evincerent, atque una extra dubium ponerent etiam omnes illas vicissitudines, inter quas, iidem, saeculorum lapsu, veluti naufragantes, hujusce fidei, communio- nisque jacturam passi sunt. A conjecturis autem, in tam arduo negotio, abstinendum omnino est.

Certum tamen est, Romanos Pontifices in id semper omni cura et studio incubuisse, ut errantes ad *ovile* reducerentur, ut ibi, a pascuis venenatis segregati, verbo vitae alerentur.

Sic Gregorius IX. Pontifex monuit Belam regem ut Walachos schismaticos ditionis suae compescat et coerceat. Apud Raynaldum enim, in continuatione Annalium Baronii Tom. II. ad annum Christi 1234, n. 38. extant Litterae

Apostolicae Gregorii IX. ad Belam Regem. quarum tenor sequens est:

»Gregorius etc. Belae Regi primogenito Regis Un-
»gariae. In Cumanorum episcopatu, sicut accepimus,
»quidam populi qui Walachi vocantur, existunt, qui etsi
»censeantur nomine Christiano, sub *una tamen fide* varios
»ritus habentes et mores, illa committunt quae huic sunt
»nomini inimica. Nam Romanam Ecclesiam contemntes,
»non a venerabili fratre nostro episcopo Cumanorum, qui
»loci dioecesanus existit, sed a quibusdam pseudoepisco-
»pis Graecorum ritum tenentibus universa recipiunt Eccle-
»siae sacramenta, et nonnulli de regno Ungariae, tam
»Ungari, quam Theutonici, et alii orthodoxi morandi causa
»cum ipsis transeunt ad eosdem et sic cum eis quasi po-
»pulus unus factus, cum ei-dem Walachis, eo contempto,
»praemissa recipiunt sacramenta in grave orthodoxorum
»scandalum, et derogationem non modicam fidei Christia-
»nae. Ne igitur ex diversitate rituum pericula proveniant
»animarum, nos volentes hujusmodi periculis obviare, *ne*
»*praefati Walachi materiam habeant pro defectu sacramen-*
»*torum ad schismaticos episcopos accedendi, eidem episcopo*
»*nostris damus literis in mandatis, ut catholicum eis episco-*
»*pum illi nationi conformem provida deliberatione constituat*
»*sibi, juxta generalis statuta concilii vicarium in praedictis,*
»qui ei per omnia sit obediens, et subjectus Cum
»autem tu tanquam princeps catholicus ad commonitionem
»dilecti filii nostri Jacobi Praenestini electi tunc A. S. L.
»praestito juramento promiseris te omnes inobedientes Rom.
»Ecclesiae in terra tua ad obediendum eidem Ecclesiae com-
»pulsurum, prout confectae super hoc tuae literae contine-
»bant; ac eidem electo viva voce promiseris, quod prae-
»fatos Walachos compelleres *ad recipiendum Episcopum,*
»*quem eis Ecclesia ipsa concesserit,* et assignasse sibi de
»reditibus tuis, quos ab eis percipis, sufficientes redditus et
»honestos, sicut idem electus nobis exposuit, regalem
»excellentiam rogamus, monemus, et hortamur attente, ac
»in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus cum
»te non deceat in regno tuo hujusmodi schismaticos su-
»stinere, ac ea quae promisisti Deo grata, et hominibus
»sint accepta, ne facias irrita quae de tuis labiis tam lau-

»dabiliter processerunt, eaque studeas efficaciter adimplere,
 »ita quod ex hoc placeas Regi regum et nos sinceritatis tuae
 »zelum possimus dignis in Domino laudibus commendare.
 »Datum Perusii XVIII. kal. decemb. pontific. nostri an. VIII.«

Idem Raynaldus (loc. cit. nr. 40.) immediate post haec subdit formam jurisjurandi, quo Bela Rex catholicae fidei hostes, et eos qui Romanae Ecclesiae imperiis sese subducerent, e ditione sua vel extirpandos et eiiciendos, vel ad ejusdem Ecclesiae obsequium compulsurum jurejurando est pollicitus. Nempe: »Nos Bela Dei gratia Rex primo-
 »genitus domini Andreae Regis Ungariae illustris universis
 »praesentes literas inspecturis facimus manifestum, quod
 »ad petitionem venerabilis patris domini Jacobi Penestri-
 »nensis electi A. S. L. in ipsius praesentia, et plurimo-
 »rum aliorum juravimus ad sancta Dei Evangelia, quod
 »de terris nostrae jurisdictioni subjectis, et quae in futu-
 »rum dante Domino, subjicientur, universos haereticos et
 »alios Christianos, qui relicta fide Christianitatis ad super-
 »stitionem Ismahelitarum, vel Judaeorum pervertuntur, quo-
 »cunque nomine censeantur, et fictos filios Christianos de
 »terris nostris bona fide studebimus pro viribus extirpare,
 »et eos qui Romanae Ecclesiae in terra nostra sunt ino-
 »bedientes *juxta ritum uniuscujusque nationis, qui non sit*
 »*contra fidem Catholicam*, compellemus obedire Romanae
 »Ecclesiae. In cujus rei testimonium praesentes literas no-
 »stri sigilli munimine jussimus roborari. Datum Strigoniae
 »VII. kal. martii anno gratiae MCCXXXIII.«

Multum insudavit in id, ut fides catholica inter Wa- lachos imas ageret radices saeculo XIV. etiam Summus Pontifex Urbanus V. Et cum in Walachia Alexandri olim principis vidua ad Romanae ecclesiae gremium se contulisset, atque etiam filiam Bulgariae Imperatricem ad Orthodoxum ritum pellexisset: Pontifex, de egregio in aliis ab erroribus abducendis navato studio eidem gratu- latus, de missis ornamentis sacris et calicibus ad aposto- lorum basilicas gratias egit; tum adjecit stimulos, ut filiam alteram Reginam Serviae suis adhortationibus ad fidem catholicam traduceret. Tenor literarum apostolica- rum Pontificis, sequens est: »Urbanus etc. nobili mulieri
 »Clarae relictae quondam Alexandri Weydae in Vlachia

»viduae salutem, etc. Lactamur in Domino, dilecta filia
 »sibi que gratias agimus ex intimis nostri cordis, quod
 »sicut fidedigna relatione didicimus, tu Spiritus Sancti
 »lumine illustrata, et per eximiae devotionis opera, et mul-
 »tiplicium virtutum exercitium jugiter Altissimo famularis;
 »et inter alia charissimam in Christo filiam nostram Impe-
 »atricem Bulgariae illustrem natam tuam a schismate ac
 »erroribus haereticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxisti.
 »Verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Anchan
 »Reginam Serviae illustrem, adhuc in similibus schismate ac
 »erroribus permanentem, charitatem tuam excitamus, ac
 »hortamur attentius et rogamus, quatenus *ut multos lucri-*
 »*facias domino Jesu Christo*, dictam Reginam aliasque
 »utriusque sexus personas schismate et haeresibus macu-
 »latas ad praefatae fidei, *extra quam non est salus*, coneris
 »convertere puritatem. Caeterum devotionem tuam ex eo,
 »quod beatos Apostolos Petrum et Paulum, eorumque
 »basilicas et nos etiam de calicibus aureis et paramentis
 »pretiosis pro divinis obsequiis honorasti, dignae commen-
 »dationis attollere praeconio liberalitati tuae providae gra-
 »tiarum referimus actiones. Datum Romae apud S. Petrum
 »XIV. kal. februarii anno VIII.« (Apud Raynaldum, in continuatione annalium Baronii Tom. VII. anno 1370. nr. 5.)

Refert citatus Raynaldus aliam etiam ejusdem Urbani V. epistolam Idibus aprilis 1370. Latizlao Waydae Vla- chiae datam, de quo ad pietatem revocando sollicitus Christi Vicarius, eximium quidem ejus studium in Amu- ratis Turcarum regis conatibus repellendis laudibus extulit, errores vero quibus esset irretitus, atque a salutis via deflecteret, aperuit, ipsumque excitavit, ut iis abjectis, fidem orthodoxam coleret. Et allici ad id poterat Latiz- laus egregiis Latzkonis finitimi principis Moldaviae exem- plis, qui una cum suis a nonnullis sacris concionatoribus vera fidei luce collustratus, schisma damnarat, flagitarat- que a Pontifice, ut ad religionis cultum propagandum episcopalis sedes in Ceretensi oppido Haliciensis dioecesis institueretur. Cujus votis annuens Pontifex, teste ejus epi- stola IX. kal. augusti ejusdem anni ad archiepiscopum Pragensem et episcopos Wratislaviensem et Cracovien- sem, data, iisdem injunxit, ut: »Dictum oppidum Cere-

»tense ac totam praedictam terram seu ducatum Molda-
 »viensem ab omni potestate, dominio, superioritate, et
 »jurisdictione ordinaria et dioecesana, et subjectione epi-
 »scopali praefati episcopi Halecensis . . . totaliter in per-
 »petuum eximatis, et etiam liberetis; constituentibus et ordi-
 »nantibus, quod solum et immediate sanctae Apostolicae sedi
 »in spiritualibus subsit: et deinde praefatum oppidum in
 »civitatem erigatis et civitatis vocabulo decoretis, ac totam
 »dictam terram seu ducatum Moldaviensem, in quantum
 »ad praefatum ducem pertinet, eidem civitati pro dioecesi
 »assignetis et etiam deputetis, et ipsam dioecesim certis
 »terminis limitetis: et si ecclesia ibidem sit ad hoc con-
 »grua, illam in cathedralem et episcopalem etiam erigatis.«
 Addit, ut si ecclesia excitata in eodem oppido non fuerit,
 magnifico opere extrui, atque B. Petri Apostoli vel alte-
 rius Sancti, ut Moldavis visum fuerit, nomine insigniri
 curent; permoveantque Latzkonem, ut sacerdotia in ea
 instituat, congruisque ad divinum cultum sustinendum vecti-
 galibus locupletet.

Quae cum ita sint, adeoque, aliis omissis, haec etiam
 irrefragabilia sint providentissimae illius curae atque solli-
 citudinis documenta, quibus Romani Pontifices Romanos
 sive Valachos, tum in ipsa Hungaria tum in Wlachia et
 Moldavia degentes, persecuti sunt, illorumque apostolico
 zelo factum sit ut Sacra Unio inter Romanos, Saeculis
 XIII. et XIV. majora in dies acceperit ubique incrementa:
 jam mirum non est, sequenti Saeculo XV. sub Romano
 Pontifice EUGENIO IV. Anno Reparatae Salutis 1439.,
 Sacrosancto Oecumenico Concilio *Florentino* interfuisse,
Decretoque Unionis inibi lato subscripsisse, duos etiam
 Antistites Valachicos.

Haec, inter alia, duo syngrapha, his verbis concepta
 sunt: »Humilis metropolita Muldoblachiensis et locum sup-
 »plens Sebastiensis *Damianus* contentus subscripsi;« et
 »Archipresbyter *Constantinus* et Vicarius Muldoblachiensis
 subscripsi.«

Dum autem *Restauratae Unionis* memoriam gestientes
 recolimus: propositi nostri ratio postulat, ut genuinus ipse
 Decreti Unionis textus prae oculis habeatur. Sequitur
 itaque

DEFINITIO
 SANCTAE OECUMENICAE
 SYNODI FLORENTINAE

»EUGENIUS episcopus servus servorum Dei ad per-
 »petuam rei memoriam, consentiente ad infrascripta caris-
 »simo in Christo filio nostro Johanne Palaeologo Romaeo-
 »rum imperatore illustri et loca tenentibus venerabilium
 »fratrum nostrorum patriarcharum et ceteris orientalem
 »ecclesiam repraesentantibus.

»Laetentur caeli et exultet terra; sublatus est enim
 »de medio paries, qui occidentalem orientalemque divide-
 »bat ecclesiam et pax atque concordia rediit, illo angulari
 »lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo
 »caritatis et pacis utrumque iungente parietem et perpe-
 »tuae unitatis foedere copulante ac continente; postque
 »longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingra-
 »tamque caliginem, serenum omnibus unionis optatae iubar
 »illuxit. Gaudeat et mater ecclesia, quae filios suos hacte-
 »nus invicem dissidentes, iam videt in unitatem pacemque
 »rediisse: et quae antea in eorum separatione amarissime
 »flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili
 »gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulen-
 »tur fideles ubique per orbem et qui Christiano censentur
 »nomine, matri catholicae ecclesiae collaentur. Ecce enim
 »occidentales orientalesque patres post longissimum dis-
 »sensionis atque discordiae tempus, se maris ac terrae
 »periculis exponentes omnibusque superatis laboribus, ad
 »hoc sacrum oecumenicum concilium desiderio sacratissi-
 »mae unionis et antiquae caritatis reintegrandae gratia
 »laeti alacresque convenerunt et intentione sua nequaquam
 »frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque inda-
 »ginem tandem Spiritus Sancti clementia ipsam optatis-
 »simam sanctissimamque unionem consecuti sunt. —
 »Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias
 »referre sufficiat? Quis ante divinae miserationis divi-
 »tias non obstupescat? Cuius vel ferreum pectus tanta
 »supernae pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista pror-
 »sus divina opera, non humanae fragilitatis inventa; atque

»ideo eximia cum veneratione suscipienda et divinis laudi-
 »bus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum
 »actio Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni spon-
 »sae tuae catholicae ecclesiae contulisti, atque in genera-
 »tione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enar-
 »rent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque
 »munus nobis Deus largitus est; oculisque vidimus, quod
 »ante nos multi cum valde cupierint, adspicere nequiverunt.
 »Convenientes enim Latini ac Graeci in hac sacrosancta
 »oecumenica synodo, magno studio invicem usi sunt, ut
 »inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti
 »processione summa cum diligentia et assidua inquisitione di-
 »scuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis
 »plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium
 »et occidentalium, aliquibus quidem ex patre et filio,
 »quibusdam vero ex patre per filium procedere dicentibus;
 »spiritum sanctum et ad eandem intelligentiam adspicien-
 »tibus omnibus sub diversis vocabulis, Graeci quidem as-
 »seruerunt, quod id, quod dicunt spiritum sanctum ex
 »patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant
 »filium; sed quia eis videbatur (ut aiunt) Latinos asserere
 »spiritum sanctum ex patre et filio procedere tanquam ex
 »duobus principiis et duabus spirationibus, ideo absti-
 »nuerunt a dicendo, quod spiritus sanctus ex patre pro-
 »cedat et filio. Latini vero affirmarunt non se hac mente
 »dicere spiritum sanctum ex patre filioque procedere, ut
 »excludant patrem, quin sit fons ac principium totius dei-
 »tatis; filii scilicet ac spiritus sancti, aut quod id, quod
 »spiritus sanctus procedit ex filio, filius a patre non ha-
 »beat; siue quod duo ponant esse principia, seu duas
 »spirationes; sed ut unum tantum asserant esse principium
 »unicamque spirationem spiritus sancti, prout hactenus
 »asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem elici-
 »atur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam et
 »Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem
 »unanimiter concordarunt et consenserunt. In nomine igitur
 »sanctae trinitatis, patris et filii et spiritus sancti, hoc
 »sacro universali approbante Florentino concilio diffinimus,
 »ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et
 »suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod spiritus san-

»ctus ex patre et filio aeternaliter est, et essentiam suam
 »suumque esse subsistens habet ex patre simul et filio, et
 »ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica
 »spiratione procedit; declarantes quod id, quod sancti docto-
 »res et patres dicunt, ex patre per filium procedere spiritum
 »sanctum, ad hanc intelligentiam tendit; ut per hoc si-
 »gnificetur, filium quoque esse secundum Graecos quidem
 »causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae
 »spiritus sancti, sicut et patrem. Et quoniam omnia quae
 »patris sunt, pater ipse unigenito filio suo gignendo dedit,
 »praeter esse patrem, hoc ipsum quod spiritus sanctus
 »procedit ex filio, ipse filius a patre aeternaliter habet, a
 »quo etiam aeternaliter genitus est. Diffinimus insuper,
 »explicationem verborum illorum filioque, veritatis decla-
 »randae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac ra-
 »tionabiliter symbolo fuisse appositam. Item, in azymo sive
 »fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici;
 »sacerdotesque in altero ipsum domini corpus conficere
 »debere, unumquemque scilicet iuxta suae ecclesiae sive
 »occidentalis sive orientalis consuetudinem. Item, si vere
 »poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis
 »poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis,
 »eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et
 »ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium
 »vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes
 »et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus
 »pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiae
 »institutum: illorumque animas, qui post baptismum susce-
 »ptum, nullam omnino peccati maculam, incurrerunt; illas
 »etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis
 »corporibus, vel eisdem exutae corporibus, (prout supe-
 »rius dictum est) sunt purgatae, in coelum mox recipi et
 »intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro
 »meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: illorum
 »autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo
 »originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis
 »tamen disparibus puniendas. Item, diffinimus sanctam
 »apostolicam sedem et Romanum pontificem in univer-
 »sum orbem tenere primatum et ipsum pontificem Roma-
 »num successorem esse beati Petri principis apostolorum

»et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et
 »omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et
 »ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi uni-
 »versalem ecclesiam a domino nostro Jesu Christo plenam
 »potestatem esse traditam; quemadmodum etiam in gestis
 »oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus conti-
 »netur. Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus
 »caeterorum venerabilium patriarcharum; ut patriarcha
 »Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Ro-
 »manum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus
 »autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, salvis
 »videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum. Datum
 »Florentiae in sessione publica synodali solemniter in ec-
 »clesia maiori celebrata, anno incarnationis dominicae mil-
 »lesimo quadringentesimo trigesimo nono, pridie nonas
 »iulii, pontificatus nostri anno nono.« — Sequuntur sub-
 »scriptiones. (Ex actis Concilii Florentini editis a Monacho
 Benedictino. Romae 1865. Cfr. Labbaei Collect. Concil.
 editionis Venetae 1732. Tom. XVIII. col. 522 et 1181.)

Hanc itaque Unionem, *Florentinam* nempe, restaura-
 runt majores nostri, dum 4. Septembris 1700. universus
 Clerus Ecclesiae Romenicae ex Transylvania partibusque
 adnexis, praeside ATHANASIO Archiepiscopo, in Synodo
 maiori Alba-Juliae congregatus Unionem cum Ecclesia
 Catholica recepit, hanc emittens declarationem: »Nos in-
 »frascripti ecclesiae Valachicae in Transylvania partibusque
 »ei annexis Episcopus, archidiaconi ac clerus universus
 »memoriae commendamus tenore praesentium, quibus ex-
 »pedit universis, maxime inclitis Regni Transylvaniae sta-
 »tibus, considerata tum fluxa humanae vitae instabilitate,
 »tum etiam animae (cujus in omnibus potior cura habenda)
 »immortalitate, libere ac sponte, impulsuque Divini Numi-
 »nis cum Ecclesia Romano-Catholica unionem inivimus.
 »Ejusdem S. Matris Romano-Catholicae Ecclesiae com-
 »membra Nos tenore praesentium declaramus, omnia ad-
 »mittentes, profitentes ac credentes, quae illa admittit, pro-
 »fitetur ac credit, praesertim vero illa quatuor Puncta, in
 »quibus hactenus dissentire videbamur, quae etiam in Cle-
 »mentissimo Decreto ac Diplomate Suae Sacratissimae
 »Majestatis ac Eminentissimi Archiepiscopi Nobis insinu-

»antur. Quapropter iisdem prorsus juribus ac privilegiis,
 »quibus ejusdem S. Matris Ecclesiae presbyteri ex Indulto
 »sacrorum canonum, necnon Divorum quondam Regni
 »Hungariae Regum utuntur, Nos quoque juxta praenomi-
 »natum Suae Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maje-
 »statis Decretum, necnon Eminentissimi Archiepiscopi
 »amodo et deinceps, uti ejusdem commembra, frui ac gau-
 »dere volumus. In cujus majorem fidem ac robur prae-
 »sens *manifestum* Nostrum propriae manus syngrapha, nec
 »non sigillis tam Monasterii Nostri Albensis, quam pro-
 »priis usualibus communimus. Albae-Juliae 1700. Die 5
 »Septembris.« (Apud Nicolaum Nilles S. J. in Opere
 »Symbolae ad illustrandam Historiam Ecclesiae Orienta-
 »lis,« pag. 247.) Cui »Manifesto,« praeter laudatum *Athana-
 sium* subscripserunt 54 archidiaconi cum 1563 sacer-
 dotibus.

Restaurata sic S. Unione, eaque, infatigabili Athana-
 sii, sibi in arduo opere cooperantium zelo, nova in
 dies, tum intensive tum extensive, capiente incrementa,
 atque interea ipso Athanasio 19 Augusti 1713 vita functo:
 mox sequuta est canonica Episcopatus *Fogarasiensis* Graeci
 Ritus, in Transylvania fundatio. Cum autem tale nego-
 tium, praeter consuetos processus infortiorios, multifarias
 pertractationes requirat; quod Summus Pontifex Clemens
 XI. (1700—1721.) anno 21-mo sui Pontificatus, a se jam
 decretum, morte praeventus, perficere non potuit: perfecit
 ejus in Pontificatu successor Innocentius XIII, qui Bulla
 sua »Rationi congruit« XV. Kalendas Junii 1721. ema-
 nata Episcopatum *Fogarasiensem* Graeci Ritus erexit.

Quia vero, haec novella dioecesis, veluti incunabu-
 lum almae nostrae Provinciae ecclesiasticae constituit: ipsa
 pietatis ratio postulat, ut tanti documenti tenor omnibus
 nostrum innotescat.

Tenor itaque Bullae »Rationi congruit« Innocentii
 XIII. juxta Bullarium Pontificium Sacrae Congregationis
 de Propaganda Fide (Appendicis T. II. pag. 3.) se-
 quens est:

»INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei Ad
 »perpetuam rei memoriam. Rationi congruit et convenit ho-
 »nestati, ut ea quae de Romani Pontificis vigili prudentia, et

»benignitatis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu
 »litterae Apostolicae desuper confectae non fuerint, suum ta-
 »men debite sortiantur effectum. Dudum siquidem felicitis recor-
 »dationis Clemens Papa XI. Praedecessor Noster, cui coe-
 »lestis Paterfamilias Suas dederat pascere Oves in ter-
 »ris, ex onerosa Sui muneris hujusmodi cura assidue leva-
 »bat in circuitu sollicitae mentis Suae oculos, ut si Domi-
 »nicum Gregem, divina sic disponente bonitate, augeri
 »prospiciebat in dies, ut Grex ipse sic auctus commodius
 »ad aeternae amoenitatis pascua dirigi valeret, novos ei
 »Pastores juxta ejusdem Gregis indigentiam constituere
 »satagebat, ad hoc quoque exequendum libentius intende-
 »bat, quoties laudabilis Christianorum Principum Sibi in
 »custodiendo augendoque Grege ipso opitulantium, pietas
 »id postulabat, gaudebatque in Domino quod suae Provi-
 »dentiae implemento, eorum quoque regalis munificentiae de-
 »cus, et bonorum operum gloria rutilaret, proptereaue atten-
 »dens, quod gratia benedicente Domino nonnulla millia Grae-
 »corum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque,
 »qui Graecum Ritus sequebantur, et per universam Tran-
 »sylvaniae Provinciam commorabantur, ad Sanctae Ro-
 »manae Ecclesiae gremium advolavissent, et, eadem gratia
 »coadjuvante, quamplures alii ex Graecis, Ruthenis, Wa-
 »lachis, Rascianis, aliisque praeattactis ad idem gremium
 »in dies advolaturi sperabantur, et ut novus Grex Domi-
 »nicus hujusmodi eorum propriam Sedem, propriumque ha-
 »berent Pastorem, qui oves huc illuc dispersas in Aulam
 »Domini congregaret, easque in viam veritatis dirigendo ad
 »caelestia pascua revocaret, aliisque accedentibus causis in
 »Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc
 »Suorum ejusdem S. R. E. Cardinalium rebus consistoria-
 »libus praepositorum, de quorum numero Nos quoque
 »tunc eramus, perpensis; ad pias, et enixas Christianis-
 »simi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum, et Ro-
 »manorum Regis in Imperatorem electi preces, *sub dato*
 »*videlicet tertio Nonas Februarii Pontificatus Sui anno*
 »*vigesimo primo*, de eorundem praedictae S. R. E. Car-
 »dinalium consilio, Ecclesias et Personas tam Saeculares,
 »quam Ecclesiasticas Ritus Graeci praefati, tam in oppido
 »Fogarasiensi in dicta Provincia, quam in Locis, Castris,

»Villis, Territoriis, Districtibus, aliisque annexis, atque
 »adjacentibus locis in Oppido Provinciaque praedictis
 »existentes, a quacumque alia Ordinaria jurisdictione divi-
 »sit, et separavit, illaque omnia et Clerum ac Populum
 »Ritus hujusmodi, quoad legem Dioecesanam, ab Epi-
 »scopi Latini Transylvaniensis Superioritate, Jurisdictione,
 »Potestate, Subjectione, Visitatione, et Correctione, si qua
 »in eos exerceri consueverat, prorsus exemit, et liberavit,
 »ac Oppidum Fogarasiense praeattactum in civitatem
 »erexit, illiusque incolas Civium nomine, titulo, et honore
 »decoravit, illudque et in eo Ecclesiam Divo Nicolao di-
 »catam in Cathedrali Ritus Graeci praefati, sub invoca-
 »tione ejusdem Divi Nicolai pro uno Episcopo Ritus Graeci
 »redigi faceret, nec non Episcopalem Jurisdictionem, aucto-
 »ritatem in omnes, et singulos Graecos, Ruthenos, Va-
 »lachos, et Rascianos praefatos, tunc, et pro tempore in
 »universa Provincia praeattacta commorantes, et commo-
 »ratos exercere, omniaque, et singula, quae Jurisdicti-
 »onis, quodque Ordinis, et cujuslibet muneris Episcopalis
 »erant, et quae alii Episcopi Graeci Ritus in suis Eccle-
 »siis, Civitatibus, et Dioecesibus facere poterant, et de-
 »berent facere, libere, et licite posset, et debeat, ac in
 »eadem Ecclesia sic erecta Episcopalem dignitatem ejusdem
 »Graeci Ritus, cum Sede Episcopali, et Capitulari mentis,
 »aliisque Cathedralibus, Insigniis de simili consilio, Apo-
 »stolica auctoritate erexit, et instituit, ac eidem sic erectae
 »Ecclesiae Oppidum Fogarasiense praefatum sic in Civi-
 »tatem erectum, pro Civitate, et, si quae essent, alia Op-
 »pida, Castra, Villae et Territoria eidem Oppido Fogara-
 »siensi annexa, et ab eo dependentia, pro Dioecesi, nec
 »non Ecclesias ejusdem Graeci Ritus praedicti in Civitate
 »et Dioecesi hujusmodi omnesque, et singulos Graecos,
 »Ruthenos, Valachos, et Rascianos, qui in universa Pro-
 »vincia praeattacta, partibusque annexis praedictis pro
 »tempore degissent, pro Populo de consilio, et auctori-
 »tate paribus concessit et assignavit, Civitatemque Dioe-
 »cesim, Clerum et Populum hujusmodi Episcopo Fogara-
 »siensi Graeci Ritus praeattacti, illiusque ordinariae Juris-
 »dictioni subjecit, et mensae Episcopali Fogarasiensi, et
 »pro illius Dote termille, et octoginta quatuor florenorum

»cum quindecim Crucigeris monetae illarum partium, mille
 »quingenta scuta monetae Romanae circiter constituentium,
 »ex Pagis de Bessembach, nec non Domini Szamosujvár,
 »dicto Episcopatu annexis, annuis redditibus Fiscalibus a
 »praeattacto Carolo Hispaniarum, et Romanorum Rege,
 »in Imperatorem electo, donata, et assignata similiter appli-
 »cavit, et appropriavit, et insuper eidem Carolo Hispaniarum
 »et Romanorum Regi, in Imperatorem electo, uti
 »Transylvanicae Principi, ejusque haeredibus, et successoribus
 »in eodem Transylvanicae Principatu, jus Patronatus, et
 »praesentandi etiam a primaeva tunc, ut praeferebatur, facta
 »electione infra tempus, ad id a jure praefixum, eidem Clementi
 »Praedecessori, et Romano Pontifici pro tempore existenti
 »Personam idoneam ad dictam Ecclesiam Fogarasiensem
 »in illius Episcopum Graeci Ritus praedicti, et Pastorem
 »ad praesentationem hujusmodi, et non alias praeficien-
 »dam reservavit, et concessit, ac jus Patronatus, et prae-
 »sentandi hujusmodi eidem Carolo Hispaniarum, et Roma-
 »norum Regi, in Imperatorem electo, illiusque haeredibus
 »et successoribus praedictis, ut Transylvanicae Principibus
 »ex meritis fundatione, et dotatione competere, illique per
 »Sedem Apostolicam etiam consistorialiter quacumque ra-
 »tione, vel causa derogari non posse, nec derogatum cen-
 »seri, nisi praefati Caroli Hispaniarum, et Romanorum
 »Regis, in Imperatorem electi, et in dicto Transylvanicae
 »Principatu suorum haeredum, et successorum praefatorum
 »ad id expressus accederet assensus, et si aliter quovis
 »modo derogaretur, derogationes hujusmodi cum inde se-
 »quutis, nullius roboris, efficaciae, et momenti futuras
 »fore, sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordi-
 »narios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici
 »Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de
 »latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Apostoli-
 »cae Nuncios, aliosve quoslibet aliter judicandi, et defi-
 »niendi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere,
 »et quidquid secus super his a quoquam quavis auctori-
 »tate scienter, vel ignoranter contigisset attentari, irritum
 »decrevit, et inane, non obstantibus Lateranensis Concilii
 »novissime celebrati, Ecclesiarum dismembrationes fieri
 »prohibentis, ac ejusdem Clementis Praedecessoris, et

»Cancellariae Apostolicae regulis de non tollendo Jure
 »quaesito, et quatenus opus esset de unionibus commit-
 »tendis ad partes, nec non de exprimendo vero annuo
 »valore, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apo-
 »stolicis, quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis,
 »eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa,
 »et individua, non autem per clausulas generales idem
 »importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habitura
 »foret de litteris tenoris illarum Clementis Praedecessoris,
 »si desuper confectae fuissent, pro expressis habens, illis
 »alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat spe-
 »cialiter, et expresse derogavit, ceterisque contrariis qui-
 »buscumque. Voluit autem idem Clemens Praedecessor,
 »quod tunc, et quamprimum emi deberet domus Episco-
 »palis, pro qua quatuor mille florenorum summa jam tum
 »assignata reperiebatur. Quod quia juxta Graeci Ritus
 »Ordinationes in eadem Ecclesia Fogarasiensi constitui
 »debere Monachi, et Sacerdotes, si forte tunc non ades-
 »sent Graeci Ritus praefati, qui loco forent Canonicorum,
 »et Capituli, ac insuper quod promovendi ad dictam Eccle-
 »siam Fogarasiensem, eorum tantum, qui Graecis Ritibus
 »addicti erant, Episcopi vocari, et esse deberent, ac in
 »illos tantum jurisdictionem exercere valerent, declaravit,
 »ac cum hoc tamen, quod servarentur Decreta omnia
 »Congregationis de Propaganda Fide, quoad Graecos, qui
 »Latinis immixti vivunt, saepius emanata, per suas autem
 »litteras, si desuper confectae fuissent, jurisdictioni Vene-
 »rabilis Fratris Nostri, tunc Sui, Georgii Martonfi Episcopi
 »Latini Transylvaniciensis, ejusque Successorum, ac alias
 »juxta Decretum Congregationis eorumdem Fratrum rebus
 »Consistorialibus praepositorum desuper emanatum prae-
 »judicare non intendit. Hae autem de divisione, separatione,
 »eximitio, liberatione, erectione, institutione, concessione,
 »assignatione, applicatione, appropriatione, subjectione, re-
 »servatione, concessione, decreto, voluntate, derogatione,
 »declaratione, aliisque praemissis Clementis Praedecessoris,
 »litterae ejus superveniente obitu confectae non fuerunt,
 »valeat, quomodolibet haesitari volumus, et Apostolica
 »Auctoritate decernimus, quod divisio, separatio, eximitio,
 »liberatio, erectio, institutio, concessio, assignatio, applica-

»tio, appropriatio, subjectio, reservatio, concessio, decretum, voluntas, derogatio, intentio, aliaque praemissa a die tertio Nonas Februarii Suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis Praedecessoris litterae sub dato ejusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur ad probandam plene divisionem, separationem, exemptionem, liberationem, erectionem, institutionem, concessionem, assignationem, applicationem, appropriationem, subjectionem, reservationem, concessionem, decretum, voluntatem, derogationem, declarationem, intentionem, et alia praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrorum decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. — Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo primo, quinto decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno primo. Loco ✠ Sigilli P. *Placentinus.*»

Quod ergo Clemens XI. intuitu erectionis Dioecesis Fogarasiensis Graeci Ritus, ultimo vitae suae anno provide constituit, id Innocentius XIII. hac Bulla Pontificia executioni mandavit.

Hanc autem Sedis episcopalis Fogarasiensis Graeci Ritus erectionem, eodem Saeculo XVIII. sequuta est Dioecesis etiam Graeci Ritus Catholicorum *Magno-Varadinensis* erectio.

Cum enim ordinaria Episcopi Fogarasiensis jurisdictio, juxta exposita, finibus Transylvaniae circumscriberetur; Graeci vero, proprii Ritus Dioecesim non habentes, de jure ecclesiastico communi, et in sensu Constitutionum Apostolicarum, subjiciantur Ordinariae jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcoporum Latinorum in quorum Dioecesibus versantur: hac lege tenebantur omnes etiam Romeni sive Valachi, extra septa Transylvaniae, Unionem cum Sancta Romana Ecclesia amplexi.

Nacta est autem zelosos S. Unio apostolos etiam in ambitu Dioecesis Varadinensis. L. R. — Comes EMERI-

CUS CSÁKY (1702—1732) Episcopus, uni e sacerdotibus suis, origine siculo et valachicae quoque linguae gnaro, Paulo László commiserat magnum unionis opus, eum 1713 in canonicum Varadinensem, et graeco-catholicorum Archidiaconum denominans. Hujus indefesso labore effectum est, ut anno 1725 jam ultra septuaginta numerarentur parochiae unitae. (Cfr Schematismus historicus M.-Varadinensis L. R. anni 1896 pag. 74.)

Interea Episcopus Latini Ritus Magno-Varadinensis NICOLAUS E COMITIBUS CSÁKY, majori suorum fidelium Graeci Ritus bono spirituali prospicere cupiens, apud Sanctam Sedem instanter egit, ut sibi concederetur Episcopus auxiliaris Graeci Ritus. Quod sub ejus in Episcopatu successore, PAULO E COMITIBUS FORGÁCH DE GHYMES, etiam impetratum est. Nam MELETIUS KOVÁCS, oriundus ex Macedonia, Parochus Diószegiensis, anno 1748. per Summum Pontificem Benedictum XIV. in Episcopum Tegeanensem praeconisatus, dein vero consecratus, penes Episcopum Latini Ritus Magno-Varadinensem, constitutus fuit in Episcopum ritualement pro fidelibus Graeci Ritus Catholicis ejusdem Dioecesis.

Rem hanc BENEDICTUS XIV. in opere »De Synodo Dioecesana« L. II. c. XII. n. 5. sic illustrat: »Quum Pontificatus nostri tempore, anno scilicet 1746. a Varadinensi Episcopo instantius actum esset, ut sibi concederetur Episcopus auxiliaris Graeci Ritus, propterea quod Dioecesim haberet Graecis refertam, quorum linguam ipse ignorabat; audito prius hac de re Metropolitano Colocensi Archiepiscopo, acceptis Varadinensis Cleri supplicationibus, idque etiam petente Hungariae Regina in Romanorum Imperatricem electa, legitimis processibus de mandato nostro confectis super illius qualitatibus, qui in auxiliarem Episcopum postulabatur, ac praesertim super abjuratone schismatis atque haereseos per ipsum facta, ac tota re in Consistoriali Congregatione die 12 Julii 1748 mature discussa, sequens Decretum publicari mandavimus, quod etiam deinde executioni traditum est: *Deputandum esse Episcopum Suffraganeum, seu Vicarium, Reverendum Meletium Ritus Graeci ad formam canonis IX. Concilii Lateranensis IV., seu Capituli Quoniam, de officio Judi-*


»cis Ordinarii, cum dispensatione super irregularitate ob
 »schismata et heresim incursa, nec non cum assignatione
 »tituli Episcopalis, et congruae pro ejus sustentatione in
 »floreis mille et quingentis illarum partium super fructi-
 »bus mensae Episcopalis Varadinen.»

Extant ejusdem Summi Pontificis Literae Apostolicae die 30 Augusti 1748. sub annulo Piscatoris »Venerabili Fratri Meliteo Kovács Episcopo Tegeanensi in partibus Infidelium Ritus Graeci« inscriptae, tenoris sequentis: »BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis Frater salutem et apostolicam Benedictionem. Etsi ipsa Fraternitati Tuae collata Episcopalis Dignitas, et injunctum Suffraganei Episcopi munus in amplissima Venerabilis Fratris Pauli Stephani Antistitis Dioecesi Varadinensi ea conditione praestandum, ut Populos Ritus Graeci Uniti per eandem Dioecesim dispersos instrueres, atque in orthodoxae Romanae Fidei professione confirmares, jure exigit, ut omnem operam studium ac zelum in hujusmodi ministerio integerrime obeundo impendere adnitaris; suprema tamen apostolicae nostrae procurationis ratio postulat, ut eximias, quibus Fraternitas Tua commendatur, virtutes meritis laudibus prosequentes, debita etiam nostrae caritatis et cohortationis officia a Te desiderari minime patiamur. Itaque Fraternitatem Tuam rogamus et in Domino hortamur, ut serio reputans opus, quod Tibi impositum suscepisti, tanta animi alacritate, vigilantia, ac fortitudine perficere satagas, quantam requirit aeterna Christifidelium salus, pro quibus Pastorum Princeps et supremus Judex Jesus Christus sanguinem suum dedit aeterna redemptione inventa. In hoc autem labora, Venerabilis Frater ut non hominibus sed Deo placere studens, omnes Jesu Christo lucrifacias, a quo coronam legitime certantibus repositam in coelo consequi merearis. Nos vero, qui ejusdem Jesu Christi vices in terris quamvis immerentes gerimus, Tibi persuasum esse cupimus, adlaboraturos fore, ut, quoad Nobis integrum erit, opportunas benignitatis, benevolentiae, et auctoritatis nostrae, partes, ubicumque res postulaverit, ad tua commoda et eorundem Christifidelium utilitatem profuturas libenter conferamus. Interim Apostolicam Benedictionem coelestis praesidii auspiciem et stu-

»diosae nostrae in Te voluntatis pignus Fraternitati Tuae
 »peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam
 »Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX.
 »Augusti MDCCXLVIII. — Pontificatus Nostri Anno
 »Nono.«

Dioecesis Latini Ritus Magno-Varadinensis anno 1765, teste Schematismo ejusdem anni, tunc primum typis pro-
 cuso, jam 95 numerabat Parochias Graeci Ritus Catho-
 licas, in octo districtus Vicearchidiaconales distributas, et
 per Vicarium Episcopum Graeci Ritus Meletium sive Me-
 liteum Kovács gubernatas.

Hoc Episcopo rituali anno 1770. vita functo, Regina
 Apostolica MARIA THERESIA ad id consilii devenit, ut
 distinctum Episcopatum Graeci Ritus Magno-Varadini pro
 Valachis curaret erigi, denominato 26 Mensis Julii 1776
 in primum Episcopum Ordinarium MOYSE DRÁGOSSY
 ejusdem urbis Parocho et Archidiacono. Verum PIUS PP.
 VI. eundem confirmare recusavit. Summus namque Ponti-
 fex, Literis Apostolicis die 30. Nov. 1776. ad Regiam
 Apostolicam datis, difficultates aliquas emersas fuisse signi-
 ficavit, quae eum ad canonicam ipsam Dioecesis erectionem
differendam compulerunt. »Itaque eas (prosequitur Pontifex)
 »ad Te nostro nomine deferet Venerabilis Frater Josephus
 »Archiepiscopus Berti noster apud Te nuntius, ut ipsi di-
 »ligenter in mandatis damus. Quapropter majorem in mo-
 »dum a Majestate Tua petimus, Teque rogamus ut cum-
 »tationem hanc nostram ex ea ipsa, quam maxime in his
 »rebus utrique spectare debemus, religione proficisci putes,
 »atque illum idcirco his cum mandatis ad Te adeuntem be-
 »nigne excipere, quaeque ab eodem afferentur, audire ac
 »Tecum ipsa considerare pro Regia Tua aequitate, ac
 »prudencia velis. Summopere confidimus fore, ut Tibi cer-
 »tissime constet, nihil Nos magis cupere, Charissima in
 »Christo Filia Nostra, quam ut ea omnia, quae dubios
 »Nos, incertosque hactenus reddunt, perspicua rationum
 »Tuarum luce collustrentur.« — Jamvero difficultatibus ere-
 ctioni Dioecesis obicem constituentibus, feliciter superatis:
 die 16. Junii 1777. emanavit Bulla erectionis novae Eccle-
 siae Cathedralis Graeci Ritus Catholicae *Magno-Varadinen-
 sis*, eamque mox, die nempe 23 ejusdem mensis, excepit



MOYSES DRÁGOSSY


I. Episcopus Dioecesanus.

praefati MOYSES DRÁGOSSY in primum Episcopum dioecesanum praeconisatio.

Tenor Bullae Pontificiae »Indefessum« PII VI. canonicam Dioecesis erectionem respicientis sequens est:

»PIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Indefessum Personarum Regia Dignitate fulgentium pro Catholicae Religionis incremento nunquam satis commendabile studium, de apostolica benignitatis auxilio prosequi ac fovere, quemadmodum semper habuit gloriosum apostolica Sedes, Nos ita, qui ut Fide-
 »lium Congregatio in dies augeatur, Altissimo preces fundere non omittimus, quoniam idipsum expetere regia
 »corda deprehendimus, in laetitia et exultatione tam sancta ac pia vota excipientes, quae provide Personis ipsis pro
 »Orthodoxae Fidei propagatione in Domino visa sunt convenire, auctoritate Nobis a Christo tradita ad optatum perducere festinamus effectum. — Cum itaque sicut
 »a Charissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia imperatrice vidua, ac Hungariae et Bohemiae regina Apostolica accepimus, in universis haereditariis Hungariae hujusmodi regnis et provinciis quamplures adsint populi,
 »qui Graeco Orientalis Ecclesiae ritu sacra peragunt, ac inter eos, etsi non pauci existant qui in Sanctae Matris
 »Ecclesiae sinu adhuc persistunt, longe major sit illorum copia, qui a vera Fide aberrantes, et dictae Orientalis
 »Ecclesiae ritui hujusmodi addicti Schismatici, ordinaria et ab Episcopis Latinis independente jurisdictione operantes
 »Episcopos ac et suum Archiepiscopum Metropolitanum habent, ac proinde ipsa Maria Theresia Regina apostolica Religionis Orthodoxae in dies augendae magis magisque zelo impulsa, ad hoc ut Sacra eorum unio optima
 »quoque ratione promoveatur, Nobis enixas porrexerit preces, ut vice et loco Vicariatus apostolici Ritus Graeci Catholicum et quidem in ipsa Civitate Magno-Varadiensi
 »ubi aequae non exiguus est Graeco-Catholicorum incolarum numerus, ad animas omnium Christifidelium Orientalis Ecclesiae ritui praedicto addictorum scilicet Graeco-catholicorum, dirigendas, erigere dignaremur, prout
 »regiis suis Literis Nobis datis luculentius exposuit.
 »— Nos ad dilecti filii magistri Petri Mariae Ni-

»groni in utraque signatura Nostra referendarii, et infra-
 »scriptae congregationis secretarii, relationem, et auditis prius
 »super hujusmodi petitione congregationis venerabilium
 »Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardi-
 »nalianum Rebus Consistorialibus praepositae consilio, ac
 »dilecti pariter Filii Nostri et Sedis apostolicae Nuncii in
 »civitate Viennensi commorantis informatione, et voto,
 »ejusdem Mariae Theresiae reginae apostolicae precibus
 »praedictis indulgere, omnemque Graeci Ritus Nationem
 »quantum in Domino licuerit, specialibus gratis et favori-
 »bus prosequi, ejusque spirituali bono consulere volentes,
 »motu proprio, et ex certa scientia officium ejusdem Vica-
 »riatus apostolici, illiusque titulum et denominationem
 »apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus;
 »dictumque Vicariatum sic per Nos suppressum et extinctum
 »de apostolicae potestatis plenitudine in Episcopatum
 »Graeco Catholicum unitum Magno-Varadiensem nuncupan-
 »dum, nec non ecclesiam in dicta civitate sitam, et a praedicto
 »Nuncio designandam, in Ecclesiam Cathedralis Magno-
 »Varadiensem Graeci Ritus Uniti pro uno futuro Episcopo
 »Magno-Varadiensi ejusdem Ritus Graeci uniti, iisdem
 »modo et forma, iisdem insigniis, privilegiis, et praeroga-
 »tivis quibus caeteri Episcopatus, et respective Episcopi
 »dicti Ritus Graeci uniti, perfruuntur, et gaudent cum
 »omnimoda jurisdictione episcopali in Graecos omnes unitos
 »in dicta civitate Magno-Varadiensi existentes, aliisque locis
 »et terris, ut infra, pro ipsius futuri Episcopi Magno-
 »Varadiensis dicti Ritus Graeci uniti, pro illius infrascripta
 »Dioecesi assignandis, apostolica auctoritate praedicta etiam
 »perpetuo erigimus et instituimus. — Ac pro ejusdem
 »Cathedralis Ecclesiae Magno-Varadiensis per Nos ut
 »praeferitur erectae dote, et ad Episcopalem Dignitatem
 »decenter tuendam, summam sex millium florenorum mone-
 »tae illarum partium a praedicta Maria Theresia Regina
 »Apostolica in tot bonis stabilibus attributam, constituto-
 »que inibi consistorio, ac necessario Clericorum Seminario,
 »eadem apostolica auctoritate ibidem perpetuo concedimus
 »et assignamus, decernentes quod in dicta civitate Magno-
 »Varadiensi domus episcopalis pro dicti futuri Episcopi
 »Magno-Varadiensis Graeci Ritus uniti hujusmodi decenti



RESIDENTIA EPISCOPALIS.

»habitatione constituatur, et in praedicta Cathedrali Ecclesia
 »Magno-Varadiensis, per Nos, ut praefertur, erecta, pre-
 »sbyteri saeculares, seu monachi ejusdem Ritus Graeci uniti,
 »dummodo non adsint ad praesens, institui omnino debeant,
 »qui presbyteri seu monachi praedicti, Capituli et Cano-
 »nicorum, aliorumque in divinis inservientium ministrorum,
 »in eadem Cathedrali Ecclesia Magno-Varadiensis, per Nos,
 »ut praefertur, erecta, vices impleant, et illorum officio
 »respective fungantur. — Nec non pro Dioecesi futuri
 »Episcopi Magno-Varadiensis praedicti Ritus Graeci uniti
 »hujusmodi limites ejusdem Dioecesis per Comitatum Bi-
 »hariensem, Békéssiensem, reliquosque dictae Magno-Vara-
 »diensis Dioecesis Latini Ritus Districtus, nec non Comita-
 »tum Aradiensem et Csanadiensem et ita dictum Banatum
 »Temessiensem in Dioecesi Csanadiensis pariter Latini Ri-
 »tus existentem, ac Comitatum Csongradiensem Vacziensis
 »Dioecesis, relate ad Parochias et animas Graeco-Catholi-
 »cas, dicta apostolica auctoritate, similiter perpetuo attri-
 »buimus et applicamus. — Et insuper jus nominandi seu
 »praesentandi a dicta Maria Theresia Regina Apostolica,
 »ejusque in praedicto Hungariae regno Successoribus Re-
 »gibus infra tempus a jure praefixum Nobis, et Romano
 »Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam
 »Ecclesiam Episcopalem Magno-Varadiensem praedicti
 »Ritus Graeci uniti per Nos, ut praefertur, erectam et a
 »primaeva erectione hujusmodi vacantem, tam pro prima
 »vice, quam et in posterum, in futuris illius vacationibus,
 »pari prorsus modo, quo ad nominationem eandem, seu
 »praesentationem Episcopi Ecclesiarum in praedicto Hun-
 »gariae Regno, ab eadem Sede Apostolica praefici consue-
 »verunt, ea tamen lege, ut tam Episcopus Magno-Varadi-
 »ensis Ritus Graeci uniti hujusmodi in dicta Cathedrali
 »Ecclesia Magno-Varadiensis ejusdem Ritus per Nos, ut
 »praefertur, erecta, et a primaeva illius erectione, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam ejus in eadem Ecclesia Magno-Varadiensis hujusmodi Ritus, ut praefertur, erecta, successores omnes, nullo unquam tempore, ordinariae jurisdictioni Episcopi Magno-Varadiensis Latini, praejudicium aliquod inferre praesumant, sed jurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat, ac populum Ruthenorum

»Graeci Ritus uniti, aliosque qui eodem Ritus, et unio-
 »nem sequuntur, deguntque tam in Civitate Magno-Vara-
 »diensi quam in Dioecesi ut supra assignata, simpliciter
 »exercere valeant, exacte servantes et adimplentes decreta
 »omnia Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum
 »ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis
 »de Propoganda Fide paepositae hactenus edita, vel
 »edenda quoad Graecos, qui cum Latinis immixti vivunt,
 »quaeque huic novae apostolicae provisioni non obstant,
 »apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo clemen-
 »ter admittimus. — Ac Venerabili Fratri Nostro moderno
 »et pro tempore existenti archiepiscopo Strigoniensi motu,
 »et scientia similibus per praesentes mandamus, ut juris-
 »dictionem omnem, quae jure Metropolitico in ecclesias ei
 »suffraganeas illius Provinciae sibi competit, in Episcopum
 »quoque Magno-Varadiensem Graeci Ritus uniti hujusmodi
 »pro tempore futurum plenarie exercent; et propterea
 »eidem moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo
 »Strigoniensi, ut ipse toties quoties sibi placuerit ea inqui-
 »rere, et cognoscere, quae ad Fidei puritatem, animarum-
 »que spirituale bonum noverit pertinere libere, et licite
 »possit, dicta apostolica auctoritate facultatem tribuimus et
 »impartimur. — Decernentes et easdem praesentes semper
 »et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque
 »integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab
 »omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tem-
 »pore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et invi-
 »olabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex
 »quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica,
 »et legitima, et ex eo quod causae propter quas eadem
 »praesentes emanarunt adductae, verificateae et justificatae
 »non fuerint de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis,
 »vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, seu quo-
 »piam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et
 »inexcogitabili, ac specialem, et individuum mentionem, et
 »expressionem requirente defectu, seu et ex eo quod in
 »praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia
 »servanda et adimplenda, servata, et adimpleta non fue-
 »rint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto,
 »seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu et

»enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocum-
 »que alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, et
 »quantumvis justa, rationabili, juridica, legitima, pia, pri-
 »vilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis prae-
 »missorum necessario exprimenda foret, aut quod de vo-
 »luntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appare-
 »ret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari
 »retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam,
 »et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in-
 »tegrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, et termi-
 »nos juris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gra-
 »tiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet
 »motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso,
 »et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare
 »posse in iudicio, vel extra illud, neque easdem praesen-
 »tes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum re-
 »vocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificatio-
 »nibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus,
 »per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut
 »cancellariae apostolicae regulas quaecumque, et in
 »crastinum assumptionis Nostrae et successorum Nostro-
 »rum Romanorum Pontificum ad summi apostolatus apicem
 »et motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam
 »consistorialiter, ex quibuscumque causis, et sub quibus-
 »cumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis,
 »ac cum quibusvis clausulis, et decretis et si in eis de
 »eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data spe-
 »cialis mentio fiat editas, et in posterum edendas compre-
 »hendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties
 »illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum sta-
 »tum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et
 »esse. — Sicque et non aliter per quoscumque iudices
 »ordinarios, vel Delegatos, et causarum palatii apostolici
 »auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardi-
 »nales et de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis
 »Nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, pote-
 »state, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac
 »honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum
 »cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate,
 »et auctoritate in quocumque iudicio, et in quacumque in-

»stantia iudicari, et defini debere; irritum quoque et inane
 »si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter
 »vel ignoranter contigerit attentari. — Non obstantibus,
 »quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae prae-
 »dictae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in
 »contrarium praemissorum, et in synodalibus, provinciali-
 »bus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel
 »edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et
 »ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et
 »litteris apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub
 »quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis
 »etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus,
 »efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis
 »decretis in genere, vel in specie, et motu, scientia, et
 »potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et
 »concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illo-
 »rum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque toto
 »tenore specialis, specifica, expressa, et individua, ac de
 »verbo ad verbum non autem per clausulas generales
 »idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda
 »seu quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda
 »foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum ni-
 »hil penitus omisso, et forma in illis tradita observata,
 »etiam inserti forent eisdem praesentibus, pro plene et
 »sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in
 »suo robore permansuris latissime, et plenissime ad prae-
 »missorum validissimum effectum hac vice dumtaxat spe-
 »cialiter et expresse, nec non opportune, et valide harum
 »serie motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus
 »derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. — Vo-
 »lumus autem quod Ecclesia Cathedralis Magno-Varadien-
 »sis Graeci Ritus uniti hujusmodi, juxta ejus redditus de
 »more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apo-
 »stolicae describi debeat; quodque in exequutorem pro
 »exequutione earundem praesentium praedictus Nuntius
 »Viennensis cum facultate quoque subdelegandi deputetur.
 »— Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
 »Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis
 »concessionis, assignationis, attributionis, applicationis, ad-
 »missionis, mandati, facultatis, impartitionis, decreti, de-

»rogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario
 »contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, in-
 »dignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et
 »Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Ro-
 »mae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae
 »millesimo septingentesimo septuagesimo septimo XV.
 »Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno tertio.« (Extat
 haec Bulla in Archivio Secreto Auditoratus Sanctissimi,
 inter Consistorialia Pii PP. VI. anni III. pag. 139—142,
 indeque per Ampl. P. D. JOSEPHUM SCHIRÓ Archiepiscopum
 Neocaesareensem pro Italo-Graecis Romae residen-
 tem, benigne subministrata.)

Bulla autem »Apostolatus officium«, qua idem Sum-
 mus Pontifex PIUS VI. memoratum MOYSEN DRÁ-
 GOSSY, in primum neo-erectae Dioecesis Graeci Ritus
 Catholicae Magno-Varadinensis Episcopum praeconisavit,
 sequens est:

»PIUS SEXTUS Servus Servorum Dei. Dilecto Filio
 »*Moysi Drágossi* Electo Magno-Varadiensi Ritus Graeci
 »Sanctae Romanae Ecclesiae Uniti Salutem et Apostoli-
 »cam Benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet
 »imparibus nobis ex alto commissum dum Ecclesiarum
 »omnium Regimini divina dispositione praesidemus, utili-
 »ter exequi coadjuvante Domino cupientes solliciti corde
 »reddimur, et solertes, ut, cum de Ecclesiarum ipsarum-
 »que Regiminibus agitur committendis; tales eis in Pa-
 »stores praeficere studeamus, qui Populum suae curae
 »creditum sciant non solum Doctrina Verbi, sed etiam
 »Exemplo boni operis informare, commissasque sibi Eccle-
 »sias in statu pacifico, et tranquillo velint, et valeant
 »auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare.
 »Sane *Ecclesia Magno-Varadiensis Ritus Graeci Sanctae*
 »*Romanae Ecclesiae uniti in Cathedrali a nobis nuper*
 »*erecta*, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio
 »Personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti
 »facienda, ad Charissimam in Christo Filiam nostram MA-
 »RIAM THERESIAM Imperatricem Viduam, ac Bohemiae, et
 »Hungariae Reginam Apostolicam ex privilegio Aposto-
 »lico, cui non est hucusque in aliquo derogatum, spe-
 »ctare dignoscitur, et a primaeva ejus erectione Pastoris

»solatio destituta: nos ad provisionem ejusdem Ecclesiae
 »Magno-Varadiensis, ne illa longae vacationis exponatur
 »incommodis, Paternis et sollicitis studiis intendentes, post
 »Deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae
 »Magno-Varadiensi Personam utilem, ac etiam fructuosam
 »cum Venerabilibus Fratribus nostris praefatae Sanctae
 »Romanae Ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem:
 »demum ad te de Legitimo Matrimonio ex Catholicis ho-
 »nestique Parentibus in Dioecesi Fogarasiensi procreatum,
 »aetatis tuae annorum 41; jam dudum Praesbiterum prae-
 »dicti Ritus, qui Theologiae studiis sedulam operam na-
 »vasti; nec non animarum curam laudabiliter exercuisti;
 »et Concionatoris, atque Archidiaconi in Dioecesi Vara-
 »diensi pro Graecis Catholicis per 14 circiter annos mu-
 »nera cum doctrina, zelo, animarumque fructu sustinuisti,
 »quique Fidem Catholicam juxta articulos a felicitis recor-
 »dationis GREGORIO PAPA XIII. Praedecessore nostro
 »pro Graecis propositos expresse professus fuisti; quem-
 »que praefata MARIA THERESIA Regina Apostolica
 »nobis ad hoc per Litteras nominavit; ac de cujus vitae
 »munditia, honestate morum, spiritualium providentia, et
 »temporalium circumspectione, aliisque multiplicium Virtu-
 »tum Donis fidedigna testimonia perhibentur: direximus
 »oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione
 »pensatis praefatae Magno-Varadiensi Ecclesiae de Per-
 »sona tua nobis et eisdem Fratribus nostris ob tuorum
 »exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem
 »consilio, apostolica autoritate providemus, teque illi in
 »Episcopum praeficimus et Pastorem: curam, regimen et
 »administrationem ipsius Ecclesiae Magno-Varadiensis tibi
 »in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, in
 »Illo, qui dat gratias, et largitur praemia, confidentes,
 »quod dirigente Domino actus tuos, praefata Magno-Va-
 »radiensis Ecclesia, sub tuo felici gubernio, regetur utili-
 »ter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spirituali-
 »bus, et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur
 »Domini tuis impositum humeris prompta devotione susci-
 »pias: curam, et administrationem praefatas sic exercere
 »studeas, sollicite, fideliter, ac prudenter, quod Ecclesia
 »Magno-Varadiensis ipsa, Gubernatori provideo, ac fructu-

»oso Administratori gaudeat se commissam : tuque praeter
 »aeternae retributionis praemium nostram, et Apostolicae
 »Sedis benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi
 »merearis : caeterum etiam sperantes, quod tu licet Docto-
 »ratus Gradu insignitus non sis, quia sufficienti doctrina
 »praeditus, et ad dictam Ecclesiam Magno-Varadiensem
 »regendam, et gubernandam habilis, et idoneus esse di-
 »gnoscaris, tecum, ut eidem Ecclesiae Magno-Varadiensi
 »in Episcopum praefici, illique praeesse, ac illam, ut supra
 »regere, et administrare libere et licite valeas, defectu
 »Gradus Doctoratus hujusmodi, ac Constitutionibus, et
 »ordinationibus apostolicis dictaeque Magno-Varadiensis
 »Ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel
 »quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus,
 »caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica
 »authoritate praefata, tenore praesentium de specialis dono
 »gratiae dispensamus : volumus autem, quod tu Ecclesiae
 »Cathedralis reparationi pro viribus incumbas, Theologa-
 »lem ac Poenitentiarum praebendam, ac Seminarium ad
 »praescriptum Concilii Tridentini instituas, montemque Pie-
 »tatis erigi cures. Conscientiam Tuam super his onerantes.
 »Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis
 »Dominicae 1777. Nono Calendas Julii Pontificatus nostri
 »Anno Tertio.« (Ex Archivo Dioecetano, Fasc. I. Nr. 32,
 »anni 1777.)

Extant praeterea distinctae ejusdem Summi Pontificis
 PII VI. Litterae Apostolicae, eodem die, nempe IX. Kal.
 Julii 1777 emanatae, secundum quas: a) indulgetur, ut
 Moyses Dragossi per quemcunque Graeci Ritus Catholicum
 Episcopum, assistentibus duobus aut tribus Archiepiscopis
 vel Episcopis, deposito tamen prius fidelitatis juramento, se
 consecrari curare possit; b) aliae, quibus mediantibus,
 primus hic Dioecesis Episcopus, ad effectum provisionis,
 ab omnibus censuris, et poenis ecclesiasticis, si quibus irre-
 titus f r .t, absolvitur; c) aliae, quibus idem, ut Episcopus
 Universo Clero Civitatis et neo-erectae Dioecesis Graeci
 Ritus Catholicae Magno-Varadiensis proponitur; d) aliae, qui-
 bus, qua talis, populo proponitur; e) aliae, ad universos vasal-
 los Cathedralis Ecclesiae datae, quibus praecipitur, ut omnem
 neo-erectae Dioecesis Episcopo fidelitatem exhibeant;

f) aliae demum Archiepiscopo Strigoniensi inscriptae, quibus
 mediantibus Ecclesia Cathedralis G. R. C. Magno-Varadien-
 sensis, velut suffraganea, eidem Archiepiscopo subjicitur.

Harum postremarum Litterarum Apostolicarum autem
 tenor sequens est:

»PIUS VI. Servus Servorum Dei venerabili Fratri
 »Nostro *Archiepiscopo Strigoniensi* Salutem, et Apostolicam
 »Benedictionem. Ad cumulum tuae cedit salutis, et famae,
 »si Personas Ecclesiasticas; praesertim Pontificali Dignitate
 »praeditas divinae propitiationis intuitu opportuni praesidii,
 »et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem Ecclesiae
 »Magno-Varadiensi Ritus Graeci Sanctae Romanae Eccle-
 »siae uniti in *Cathedralem a Nobis nuper erectae* a primaeva
 »ejus erectione Pastoris solatio destitutae de Persona di-
 »lecti filii Moysis Drágossy Electi Magno-Varadiensis No-
 »bis, et venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae
 »Ecclesiae Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum
 »accepta de fratrum eorundem consilio Auctoritate Apo-
 »stolica providimus, ipsumque illi in Episcopum praefeci-
 »mus, et Pastorem: curam, regimen et administrationem
 »ipsius Ecclesiae Magno-Varadiensis ei in Spiritualibus, et
 »temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde
 »confectis Litteris plenius continetur. Cum igitur, ut idem
 »Moyses electus in comissa sibi dictae Ecclesiae Magno-
 »Varadiensis cura facilius prosequi valeat, tuus favor ei
 »fore noscatur plurimum opportunus, Fraternitatem tuam
 »rogamus, et hortamur, attente Tibi per Apostolica Scripta
 »mandantes; quatenus eundem Moyssem electum, et *prae-
 »fatum Ecclesiam Magno-Varadiensem suffraganeam tuam*
 »habeas pro Nostra, et Sedis Apostolicae reverentia pro-
 »pensius commendatos, in ampliandis, et conservandis ju-
 »ribus suis, sic eos tui benigni favoris auxilio prosequaris,
 »quod idem Moyses electus per tuae auxilium gratiae se
 »possit in commisso sibi dictae Ecclesiae Magno-Varadien-
 »sis regimine utilius exercere, Tuque divinam misericordiam
 »et nostram, et Sanctae Sedis Benedictionem, et gra-
 »tiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romae
 »apud Sanctum Petrum Anno Incarnatiois Dominicae 1777
 »Nono Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Tertio.«
 »(Ex Archivo Dioecetano, Fasc. I. Nr. 24. anni 1777.)

Tandem, attento eo, quod haec documentorum, Dioecesis respicientium collectio, eo potissimum tendat, ut Dioecesis ipsius incunabula, ejusque erectionis tum praeambula, tum decursus in plena, si fieri posset, luce collocentur; cumque jam aliunde constet Dioecesis ipsam, per segregationem, e Dioecesi Magno-Varadinensi Latini Ritus fuisse maxima ex parte conflata atque erectam; his autem magnam lucem affert Constitutio Apostolica »Ingeniosa« ejusdem Summi Pontificis PII VI, Sexto Idus Augusti 1780 emanata, ex qua non solum id apparet, qua ratione nempe Summus Pontifex florentissimi quondam Episcopatus L. R. Varadiensis, sed per insequentes motus bellicos destructi, duobusque fere saeculis deserti, redintegrationi consuluit, verum id etiam palam fit, quales idem Summus Pontifex cum Regina Apostolica MARIA THERESIA eum in finem habuerit pertractationes, ut Episcopatus iste Graeci Ritus et erigeretur, et ita dotaretur, quemadmodum erectus et dotatus est: ideo has Apostolicas Litteras prae oculis habere eo vel magis necessarium est, quia eadem aliis deficientibus, vel solae sufficerent, ad rem hanc omni sub respectu, plena luce collustrandam. Tenor itaque earum sequens est:


»PIUS episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. §. 1. Ingeniosa personarum regia potestate »fulgentium sollicitudo in procurandis praesulum ecclesiarum »majoribus prout dignitas ipsa pontificalis exigit commoditatibus Nos adeo trahit, et allicit, ut ea, quae ab illis tam »provide sunt disposita denique ad optatum perducamus »effectum — §. 2. Cum itaque nuper charissima in Christo »filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Bohemiae, »et Hungariae regina apostolica Nobis exposuerit, quod ipsa »quae jam pluribus ab hinc annis archiepiscopatus, et episcopatus in regno Hungariae praedictae consistentis ab apostolica »Sede in aliqua eorum respective dioecesium portione perpetuo dismembrari, et ex portionibus dioecesium hujusmodi »sic dismembratis novos episcopatus erigi, et jam erectos »ita ordinari curavit, ut relictis pro respectiva eorum mensa »episcopali sufficientibus annuis redditibus ex iis, qui superflui videbantur, tam respectivorum dioecesanorum, quam »etiam aliorum tunc occurrentibus necessitatibus pro catholicae religionis utilitate prospiceretur. — §. 3. Nunc vero

»habeat in votis episcopatus quoque Varadiensis, qui olim »florentissimus erat, sed deinde haeretica pravitate grassante, variisque succedentibus bellorum motibus destructus, Duobus pene saeculis desertus erat, postmodum »vero per claram memoriam Leopoldum dum viveret Romanorum imperatorem, et Hungariae praedictae regem »postliminio restitutus, et ab eo inde tempore diversimode »dispositus extitit, hac eadem occasione in ordinem etiam »reducatur. Quandoquidem paucis annis post dicti episcopatus Varadiensis restitutionem jure postliminii, ut praefertur, factam hujusmodi sub clarae etiam memoriae Caroli hoc nomine Sexto similiter Romanorum Imperatore, »et Hungariae praedictae rege circa annum Domini millesimum septingentesimum trigessimum tertium statutum »fuit, ut ex redditibus bonorum episcopalium Varadiensium septemdecim millia florenorum monetae illarum partium mensae episcopali Varadiensis, tamen cederent; »residui autem proventus in bonum ipsius catholicae religionis, et praesertim dioecesis Varadiensis pro illius videlicet parochialibus, aliisque ecclesiis, nec non scholis, »ac clero, tam Latini, quam Graeci Ritus catholicorum »converterentur. Quare iidem residuales proventus in eundem finem ad capsam parochorum nuncupatam in bonum religionis orthodoxae suapte natura destinatae sequentes »annue ex tunc fuerunt illati, et per ipsum episcopum »Varadiensem sub rationis redditione per archiepiscopum »Colocensem, uti metropolitanum eidem Mariae Theresiae reginae apostolicae facienda in necessitates ipsius dioecesis Varadiensis erogati extiterunt. — §. 4. Ac demum, »recentioribus temporibus ex iisdem residualibus redditibus »quota trigintaquatuor mille florenorum ab eodem episcopo »in capsam piam pariter nuncupatam annuatim administranda fuit constituta ea semper sub lege, ne pro mensa »episcopali praedicta, ultra dictam summam septemdecim millium florenorum hujusmodi destinaretur, eoque modo »plures quidem, ex tunc Varadienses episcopi se gesserunt. Ne autem praemissa ultra, et in incertum fluctuarent, postquam interea temporis in dicta dioecesi Varadiensi »novus Graeco catholicus episcopatus ejusdem nominis apostolica auctoritate perpetuo erectus, et institutus, ac pro

» hujusmodi diocesi Graeco-catholica emensa dos ad fundum dicti
 » episcopatus qua prius, tam Latinum quam Graeco-Catholicum
 » populum radicata est in hoc, et pro stabili providendum.
 » — §. 5. Ut propterea quae dicta Maria Theresia regina
 » apostolica, praevia tum dilectorum filiorum modernorum
 » capituli, et canonicorum ecclesiae Varadiensis, illius sede
 » episcopali vacante, legitime deputati, *quam venerabilis*
 » *fratris Nostri moderni episcopi Varadiensis Graeco-catho-*
 » *lici respective informatione enixe Nobis supplicaverit, qua-*
 » *tenus infrascripta per ipsam Mariam Theresiam reginam*
 » *apostolicam pro catholicae Ecclesiae utilitate provide dispo-*
 » *sita concedere, et ordinare dignaremur.* Nos igitur habita
 » prius de hoc matura deliberatione tam pio voto ipsius
 » Mariae Theresiae reginae apostolicae annuere volentes
 » motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae
 » potestatis plenitudine ex bonis et juribus possessionariis,
 » eidem episcopatu Varadiensi jure postliminii, olim ut
 » praefertur restitutis dominium Magno-Varadinense nuncu-
 » patum, quod sicut accepimus amplissimis redditibus pro-
 » visum est cum universis decimis ad eundem episcopatum
 » olim pertinentibus, *exceptis tamen illis, quae in reliquis*
 » *tribus scilicet Belenies, ac Bel, et Vaskó respective un-*
 » *cupatis dominiis episcopatu dependebant, seu debebantur.*
 » In futurum autem ad eos ad quos dominia hujusmodi
 » juxta ea, quae inferius commemorabuntur percipientur
 » pro tempore existenti episcopo Varadiensi Latini ritus
 » apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo con-
 » cedimus, et attribuimus. — §. 6. Ea tamen lege, ut re-
 » tentis annuatim viginti mille florenis Rhenensibus pro
 » suae mensae episcopalis sumptibus, *ac praeterea quatuor*
 » *mille florenos singulares in provisionem parochialium, alia-*
 » *rumque ecclesiarum; nec non scholarum utriusque ritus*
 » *catholicarum in primodicto dominio existentium juxta eam-*
 » *dem dispositionem praedictae Mariae Theresiae reginae*
 » *apostolicae convertere;* eaque insuper ratione singularibus
 » oneribus, quae eidem episcopo uti domino terrestri, ac
 » patrono incumbunt satisfacere teneatur. Alios vero quin-
 » que mille florenos pares in conservationem sartorum te-
 » ctorum, atque aedificiorum episcopaliū, aliasque neces-
 » sitates erogare, ac demum mille florenos singulares in

» expensas consistorii sui episcopalis Varadiensis, et san-
 » tae Sedis ex redditibus primodicti domini impendere
 » obligatus existat. Quae quidem universa onera sic impo-
 » sita summam annuam triginta millium florenorum similium
 » efficiunt, et quidquid ultra praescriptam summam hujus-
 » modi triginta millium florenorum parium ex ipsius primo-
 » dicti domini proventibus juxta calculum assumptum su-
 » peresse solet, illud ita repartitum sit, ut aliunde ecclesiae
 » cathedrali Varadiensi, atque illius deservitoribus, nec non
 » seminario junioris cleri, ac emeritis deficientibus parochis,
 » aliisque dioecesis Varadiensis praedictae necessitatibus sa-
 » tis provisum sit, et non exigua etiam summa remaneat,
 » quae ad fundum studiorum, atque scholarum regni Hun-
 » gariae praedictae pro mutuatis ex illo in Orthodoxae re-
 » ligionis utilitatem, dictaeque dioecesis Varadiensis neces-
 » sitates occurrendas nonnullis capitalibus summis, nec non
 » ad capsam parochorum annuatim numerari debeat, prout
 » in literis foundationalibus, et respective dispositivis prae-
 » dicti episcopatus Varadiensis plenius continetur. — §. 7.
 » *Cum vero Vicariatus Graeci ritus catholicorum Varadiensium*
 » *in episcopatum Varadiensem ejusdem Graeci Ritus, ut praefer-*
 » *tur, erectus, dioecesisque praedicta Varadiensis, in duas proinde*
 » *dioeceses pro duplici fidelis populi ritu hujusmodi, divisa sit,*
 » *et attento quod Vicariatus Varadiensis hujusmodi, antea quoque*
 » *cum suo clero, suisque parochiis, et scholis ex fundo ipsius Va-*
 » *radiensis episcopatus dotatus extitit, ita ne in posterum post*
 » *separationem, ut praefertur, factam quaestio aliqua oriatur: Nos*
 » *propterea ex bonis dicti Varadiensis episcopatus dominium Be-*
 » *lenies eidem episcopatu Varadiensi Graeci ritus hujusmodi*
 » *dicta apostolica auctoritate perpetuo applicamus, et incorpora-*
 » *mus; ad hoc tamen ut ex ejusdem domini sic applicati reddi-*
 » *tibus et proventibus tam congrua illius episcopalis mensae ad*
 » *formam literarum apostolicarum supradictarum erectione dicti*
 » *episcopatus Graeci ritus hujusmodi expeditarum constitui, quam*
 » *pro capitularibus illius cathedralis Ecclesiae respective portiones,*
 » *aliaque, dioecesis Varadiensis Graeci ritus praedicti necessita-*
 » *tibus prout in dicto instrumento, ac literis foundationalibus prae-*
 » *dictis clarius dicitur exprimi provideri debeant, ac etiam portio*
 » *alia ad capsam parochorum hujusmodi annuatim in alios pios*
 » *dictae religionis Orthodoxae, ac propagandae sacrae unionis usus*

OPPIDUM BELÉNYES A REGIONE ECCLESIAE PAROCHIALIS GR. CATH.



»impedenda administranda remaneat — §. 8. Cumque insuper
 »praedicta Maria Theresia regina apostolica Nobis subjunxerit,
 »quod in designando praedicto dominio Belényes eidem Graeco
 »catholico episcopo Varadiensi ipsa Maria Theresia regina apo-
 »stolica inter caetera perpenderit, quod cum in dicto dominio Bele-
 »nyics parochialis Ecclesia Graeco catholica, et populus cum
 »Romana Ecclesia unitus existant, majori tamen in parte domi-
 »nium ipsum refertum sit populo alias quidem unito, verum
 »posterioribus temporibus ad schismaticorum errores prolapsa, idem
 »proinde Graeco catholicus episcopus in medio eorum positus, et
 »dominium etiam terrestre exercens, occasione peropportunam
 »habiturus sit, tam illum qui in sacra unione existit populum
 »melius confirmandi, quam vero illum, qui a comunione Sanctae
 »Romanae Ecclesiae descivit, facilius ad ovile Christi, unitatem-
 »que fidei catholicae reducendi. — §. 9. Idcirco hac ra-
 »tione sufficienti provisione pro utriusque ritus catho-
 »lico episcopatu Varadiensi facta, cum ultra haec tertio
 »loco, ut etiam accepimus, duo minora dominia scilicet Bel,
 »et Vasko nuncupata hujusmodi aequae ad dictum episco-
 »patum Varadiensem spectantia remaneant. Nos proinde
 »juxta vota ipsius Mariae Theresiae reginae apostolicae
 »ea quidem ab episcopatu Varadiensi licet per praesentes
 »non separemüs, verum sicuti, ut etiam accepimus, per di-
 »ctum Carolum imperatorem, et regem optime statutum fuit
 »ut superflui a mensa episcopali et necessitatibus dictae Va-
 »radiensis diocesis proventus ad capsam parochorum hujus-
 »modi, ac in bonum dictae catholicae religionis, signanter
 »pro sacra unione praedicta promovenda administrarentur,
 »ob id apostolica auctoritate praedicta statuimus, atque
 »decernimus, ut eorundem duorum dominiorum quoad eum-
 »dem episcopatum spectantium proventus annuatim ad dictam
 »capsam parochorum administrarentur, et respective in va-
 »rios pios usus, ac praesertim pro eadem sacra unione pro-
 »movenda, nec non in seminarii junioris cleri Graeco cat-
 »holici in civitate Viennensi Austriae ad Sanctam Barba-
 »ram fundati sustentationem, variasque dioecesium Munka-
 »csiensis et Chriensis itidem Graeco catholicarum necessi-
 »tates juxta itidem instrumentum fundamentale respective
 »debeant erogari. — §. 10. Decernentes quoque easdem
 »praesentes perpetuo validas, et efficaces esse, et fore,

»suosque integros et plenarios effectus sortiri, et obtinere,
 »ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro
 »tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et
 »inviolabiliter observari debere ac nullo umquam tempore,
 »ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis ju-
 »ridica, et legitima, etiam ex eo quod causae, propter quas
 »eadem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et
 »justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis,
 »aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis No-
 »strae, vel quopiam alio quantumvis substantiali, substantia-
 »lissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et
 »individuum mentionem, et expressionem requirente defectu,
 »seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo
 »solemnitates, aut quaevis alia servanda, et adimplenda,
 »servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque
 »alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consue-
 »tudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae,
 »totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu,
 »aliave ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, ratio-
 »nabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali,
 »quae ad effectum validitatis praemissorum necessario
 »exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis
 »superius nullibi appareret, seu alias probari possit, notari,
 »impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam
 »revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel ad-
 »ductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcum-
 »que juris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium
 »impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et
 »potestatis plenitudine paribus concessio, et impetrato, vel
 »emanato quempiam uti, seu se juvari in iudicio, vel extra
 »illud posse; neque easdem praesentes sub quibusvis si-
 »milium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspen-
 »sionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus,
 »aliisque contrariis dispositionibus per quascunque literas,
 »et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae
 »regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis
 »Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontifi-
 »cum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia,
 »et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter,

»ex quibusvis causis, et sub quibuscumque verborum
 »expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis
 »clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesen-
 »tibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat
 »editas, vel in posterum edendas comprehendi; sed sem-
 »per, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emana-
 »bunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas,
 »repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse. — §. 11. Sic-
 »que, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios, vel de-
 »legatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii
 »apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae
 »cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaque
 »Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, pote-
 »state, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac ho-
 »nore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuili-
 »bet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et au-
 »ctoritate in quocumque iudicio, et in quacumque instantia
 »iudicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si
 »secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter,
 »vel ignoranter contigerit attentari. — §. 12. Non obstan-
 »tibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariae prae-
 »dictae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de unio-
 »nibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de
 »exprimendo in eis vero annuo valore etiam de quibus-
 »cumque fructibus ecclesiasticis, ac Lateranensis concilii
 »novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas
 »nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque
 »in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in syno-
 »dalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus con-
 »ciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus con-
 »stitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quo-
 »que, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus,
 »et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac
 »cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque
 »efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irri-
 »tantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam
 »motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, pro
 »tempore concessis et concedendis. Quibus omnibus et
 »singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias
 »de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica,

»expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non
 »autem per clausulas generales idem importantes mentio,
 »seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda
 »foret tcnores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil
 »penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam
 »inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et suffici-
 »enter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo
 »robore permansuris latissime et plenissime ad praemis-
 »sorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec
 »non opportune, et valide hac vice dumtaxat, motu, sci-
 »entia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque
 »serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.
 »Volumus autem quod ratione applicationis praedictae
 »nulla reductio taxae dictae ecclesiae Varadiensis in fu-
 »turis illius vacationibus praetendi possit. — §. 13. Nulli
 »ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae conces-
 »sionis, attributionis, applicationis, incorporationis, statuti, de-
 »creti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu teme-
 »rario contraire: siquis autem hoc attentare praesumpserit in-
 »dignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli
 »apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud
 »sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo
 »septingentesimo octuagesimo, sexto idus augusti, pontificatus
 »Nostrum anno sexto.« (E Bullario Pii VI. Nr. CCLXXIII.)

Tam arduum autem erat hoc Sedis Episcopalis Graeci
 Ritus Cath. Magno-Varadinensis canonicae erectionis, ejus-
 demque dotationis negotium, ut propterea Sedes Episco-
 palis M.-Varadiensis L. R. quatuor fere annis, eousque
 nempe, donec haec Constitutio Apostolica emanavit, vacare
 debuerit. A quo enim anno 1776. ADAMUS L. B. PA-
 TACHICH DE ZAJEZDA a Sede episcopali L. R. Va-
 radiensi ad Sedem Metropolitanam Colocensem translatus
 est, Pastore sic destituta Dioecesis, nonnisi anno 1780.
 novum nacta est praesulem LADISLAUM E COMITIBUS
 KOLLONITZ DE KOLLEGRAD; quando nempe Sum-
 mus Pontifex per hanc suam Constitutionem, juxta §. 5.
 audito, inter multos alios, etiam *Moyse Dragossy* primo
 dioecesis Gr. R. Magno-Varadinensis Episcopo, controver-
 siis, quae, nimio opere exagitarunt animos, Apostolica aucto-
 ritate, finem tandem imposuit. — Hanc autem Apostoli-

cam Constitutionem, mox sequenti anno, die nempe 16
 Februarii 1781. sequutae sunt Litterae Fundationales
 JOSEPHI II., quibus Sua Majestas Sacratissima, Fundatio-
 nem Augustae Suae Genitricis MARIAE THERESIAE se-
 quenti ratione confirmavit:

»NOS JOSEPHUS SECUNDUS etc. Damus pro
 »memoria Nostro, Successorumque Nostrorum Nomine si-
 »gnificantes quibus expedit Universis. Cum Serenissima, ac
 »Potentissima olim Domina MARIA THERESIA Imperatrix
 »et Regina Apostolica Genitrix Nostra felicitis Recordationis
 »desideratissima de provehenda et firmanda felicitate Re-
 »gnorum, quae a Majoribus Suis Jure Haereditario accepit,
 »maxime sollicita, illud cumprimis prae oculis habuerit,
 »quod totius Rei Christianae firmitas, Religionis Ortho-
 »doxae propagatio, hancque consequens Animarum salus
 »secundum DEUM a sublimi Episcoporum Munere, Vigi-
 »lantia, Sollicitudine, Doctrina, Verbo, et Exemplo potis-
 »simum dependeat, neque proinde ullum dubium supersit,
 »quin quo plures quasi e specula intendant Saluti Anima-
 »rum vigilaturi Pastorum Oculi, eo majora Res Christiana
 »sumat Incrementa, Mores Populorum ad humanitatis Leges
 »amplius excolantur, Vita Plebis innocentior reddatur, con-
 »sequenter Divinis non secus quam humanis Legibus major
 »etiam Reverentia exhibeatur, Reipublicae denique Salus,
 »et Tranquilitas solidioribus fundamentis fulciatur; ac ideo
 »complures in Regno Hungariae in utroque Ritu Catholico
 »erexisset Episcopatus, ampliorisque Dioecesis Admini-
 »strationem in plures partita fuisset Pastores; Quocirca
 »dum amplitudinem Dioecesis quoque Magno-Varadiensis,
 »prius tam Latinum, quam Graeco Catholicum Populum
 »complectentis, diffusosque in utroque Ritu ejusdem Limi-
 »tes, ac inde consequentem difficilem admodum sub uno,
 »eodemque Pastore Spiritualium Administrationem cerneret,
 »sed et aliis de causis multum e Re promovendae Sacrae
 »Unionis fore animadverteret, si in Ritu quoque Graeco
 »distinctus erigeretur Episcopatus; Exemplis etiam Prae-
 »decessorum Suorum, Divorum condam Hungariae Regum
 »gloriosae memoriae incitata, *pro summo Patronatus Jure,*
 »quod qua Apostolica Regina Hungariae, in conferendis et
 »pro ratione necessitatis, utilitatisque publicae ordinandis

» Dioecibus optimo Jure habere, et exercere dignosce-
 » batur, pro solita item, qua ad majorem Divini Cultus
 » promotionem et Orthodoxae Fidei, consequenter Sacrae
 » Unionis propagationem ferebatur Cura, et Sollicitudine,
 » ex Vicariatu, qui in dicta Dioecesi Magno-Varadiensi
 » relate ad Graeci Ritus Fideles praeexistebat, Episcopatum
 » Graeco Catholicum, sub eodem Nomine, Magno-Varadi-
 » ensem relate ad Animas unice Orientalis Ecclesiae Ritui
 » addictas Graeco Catholicas *Authoritate quoque Sedis*
 » *Apostolicae a Latino independentem, verum unice Metropol-*
 » *itae Strigoniensi subjectum*, ea ratione erexisset, et fundasset,
 » ut Residentia ejusdem Episcopatus Graeco Catholici, cum
 » Ecclesia Cathedrali Magno-Varadini collocata, tam pro
 » Dote ejusdem Ecclesiae Cathedralis, quam et pro Con-
 » grua Mensae Episcopalis sufficientes infra designandi
 » annui Proventus adsignati fuerint. *Limites vero hujus*
 » *Dioecesis Graeco Catholicae, adeoque relate unice ad Po-*
 » *pulum Orientalis Ecclesiae Ritui Catholico addictum, per*
 » *Comitatus Bihariensem, Bekéssiensensem, ad reliquos actuales*
 » *Districtus Dioecesis Magno-Varadiensis Latini Ritus, Co-*
 » *mitatus item Aradiensem, et Csanádiensem, Districtum*
 » *denique Tömössiensem, et in eodem recentius erectos Comi-*
 » *tatus, Tömössiensem quippe, Torontaliensem, et Krassovien-*
 » *sem, juxta Tenores etiam eatenus emanatae Bullae Pon-*
 » *tificiae*, defixi sint; porro Capitulum ex quinque Canonicis,
 » Archipresbytero quippe, seu Praeposito Majore; Archi-
 » diacono, seu Lectore; Primicerio, seu Cantore; Ecclesiae
 » archa, seu Custode; denique Cantoflance, seu Cancellario,
 » quorum quatuor in forma etiam Consistorialium, quintus
 » vero quae Scholasticus pro instituendo Juniori Clero in
 » Ritui Graeco adhibeantur, praeter Vicarium in Districtu
 » Tömössiensi ob majorem nonnihil a Residentia Episcopali
 » distantiam semper collocandum, constitutum, atque con-
 » gruae Portiones Canonicae iisdem emensae fuerint: quoad
 » Juniores autem Clerum, ea respectu Dioecesis hujus
 » facta sit Provisio, ut interim etiam, donec videlicet Sacra
 » Unio majora ceperit incrementa, siquidem certus numerus
 » pro hocce Episcopatu definiti non posset, sex Clerici ad
 » Rationem Dioecesis hujus hic Viennae in Seminario Graeco
 » Catholico hisce Annis fundato, et ad Sanctam Barbaram

» compellato, praeterea ex destinatis aliis Mille Ducentis
 » Florenis nonnulli partim in Seminario Varadiensi Cleri
 » Junioris Latini Ritus, qui a Canonico Scholastico in Ritui
 » proprio instituantur, ac finem in hunc Ecclesiam sui Ritus
 » diebus Festis, et Dominicis frequentent, iisdem caeteroquin
 » cum mentionato Clero Latini Ritus Professoribus utantur;
 » partim vero aliqui, si Episcopus e re fore judicaverit, in
 » Seminario Generali Cleri Regni Hungariae Budensi con-
 » stanter interteneantur, atque in necessariis Disciplinis in-
 » struantur: pro horum vero omnium Dotationis Fundo
 » Dominium Belényes, ad Episcopatum Magno-Varadiensem
 » Latini Ritus hucdum pertinens designasset. Nos etiam
 » Vestigis Ejusdem Gloriosae Memoriae Genitricis Nostrae
 » insistentes, cunctaque per Eandem eatenus provide con-
 » stituta, adeoque tam Erectionem hujus Episcopatus Magno-
 » Varadiensis Graeco Catholici, quam et ejusdem Dotationem,
 » pro suprema Authoritate quoque Nostra Regis Apostolici
 » clementer approbantes, cumprimis autem pro eo, quo erga
 » promovendam, et quibus quibuslibet adminiculis consta-
 » biliendam Sacram Unionem nunquam non ducimur Animo,
 » et Paterno Affectu, concedenti Graeci Ritus Catholicorum
 » Episcopi Magno-Varadiensis, Fidelis quippe Nostri Nobis
 » dilecti Reverendi MOYSIS DRAGOSSY Ejusdemque in
 » Episcopatu hoc Successorum subsistentiae; sed et Eccle-
 » siae Cathedralis, Capituli, Seminarii, aliorumque ad Eun-
 » dem Episcopatum pertinentium, perpetuae Securitati be-
 » nigne providere cupientes, praementionato Graeco Catho-
 » lico Episcopatu Magno-Varadiensi, consequenter tam
 » moderno Episcopo dicto MOYSI DRAGOSSY quam et
 » Ejus in Episcopatu Successoribus, titulo Dotis Dominium
 » Belényes, in Comitatu Bihariensi situm, hactenus per
 » Episcopatum Latini Ritus Magno-Varadiensem possessum,
 » simul cum cunctis Castris, Castellis, Oppidis, Villis, Pos-
 » sessionibus, Praediis, et eorundem Appertinentiis, Terris
 » scilicet Arabilibus cultis et incultis, Agris, Pratis, Pas-
 » cuis, Campis, Faenetis, Hortis, Pomariis, Sylvis, Nemori-
 » bus, Dumetis, Virgultis, Extirpaturis, Montibus, Collibus,
 » Vallibus, Vineis, et earum Promontoriis, Fluviis, Aquis,
 » Piscinis, Pisciumve Clausuris, et Aquarum Decursibus,
 » Molendinis, et eorundem Locis, Educillis, ac Macellis,

»generaliter vero quarumlibet Utilitatum, Obventionum,
 »Redituum, et pertinentiarum suarum integritatibus, quovis
 »Nominis Vocabulo vocitatis, sub suis veris Metis, et an-
 »tiquis Limitibus existentibus, ad praefatum Dominium
 »Belényes, Comitatu Bihariensi adjacens, et hactenus per
 »Episcopatum Latini Ritus Magno-Varadiensem possessum
 »de Jure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus,
 »ubicunque sub Sacra repetiti Regni Nostri Hungariae
 »Corona existentibus, et habitis, caeterisque Privilegiis,
 »Juribus et Jurisdictionibus, de Lege Regni, et passim
 »recepta Consuetudine Clero, qua Domino Terrestri legitime
 »competentibus, Donationis, ac piae Foundationis titulo pleno
 »Jure Domini Regio, et perennali (salvo tamen Jure aliorum,
 »si quod praeattactis Bonis inesse legitime comprobatum fuerit)
 »benigne conferendum esse duximus, ea tamen per expressum
 »Legem, ut idem Episcopus, suique in Episcopatu Successores
 »exinde pro congrua quinque Capitularium supra dictorum,
 »quorum primo Septingenti Floreni, secundo Sexcenti, tribus
 »posterioribus vero singillative Quingenti Floreni annue obveniant,
 »insimul Bismille Octingentos Florenos ad manus Capituli
 »numerare, porro pro Intentione tam in Seminario Latino
 »Magno-Varadiensi, quam et in Seminario Generali Cleri
 »Regni Hungariae Budensi prouti eidem Episcopo et Suis
 »Successoribus, aut Sede vacante Capitulo libitum fuerit,
 »in certo numero Clericorum Mille ducentos Florenos,
 »tandem pro Dote Cathedralis Ecclesiae Graeco-Catholicae
 »quingentos Florenos, prouti etiam pro Conservatione,
 »Sartorum, Tectorum Residentiae suae Episcopalis tercentos
 »Florenos annue rite convertere, et respective exolvere,
 »seque eatenus de tempore in tempus legitimare, tandem
 »salaris binorum Cathedralis Ecclesiae hujus Graeco-Catholicae
 »Magno-Varadiensis Cantorum singillative in Viginti quinque
 »Florenis subsistentibus, alios adhuc Viginti quinque
 »Florenos ea ratione adiacere teneantur, ut cum alioquin
 »Sportulas a Funeribus, et aliis similibus participare
 »referantur, percepta adusque per Eosdem ex Episcopatu
 »Latini Ritus Magno-Varadiensi Deputata dehinc cessare
 »debeant, et quamvis ad rationem Consistorialium
 »Expensarum quidpiam destinare vel ex eo minus

»necessarium videretur, quod majoris momenti Processus
 »hic non facile emergere soleant, pro Fiscali nihilominus
 »Remuneracionis titulo quinquaginta Floreni, pro illo autem,
 »qui una Notarii et Protocollistae Munus obibit, Centum
 »quinquaginta Floreni, insimul itaque Ducenti floreni, cum
 »reliquae minores expensae, quae omnes alioquin Episcopo
 »incumberent, ex incassandis Taxis facile provideri valent
 »bunt, ex Proventibus ejusdem Domini annue dependantur;
 »denique Idem saepefatus Episcopus, suique Successores
 »ultra ex iisdem Reditibus ad Cassam Parochorum, pro
 »Diocesis tamen suae Necessitatibus, Ecclesiarum nempe,
 »Parochiarum, ac Ludimagistrorum, ubi opus fuerit, neque
 »subsidiis alicujus a Patronis, aut Communitatibus adferendi,
 »in quo caeteroquin omnem conatum Episcopus adhibebit,
 »spes affulserit, Provisioni annue Octomille quingentos
 »Florenos numerent, quos apud eandem Cassam Parochorum
 »ea expressa Legge adsignavimus, ut ex his primum
 »existentibus actu quoad Ecclesias, Parochias, et Scholas,
 »ac earum Ludimagistros adsignationibus, quoad illarum
 »aliquae in Patronos, et Communitates suo modo delibatae
 »non fuerint, satisfiat, reliquum demum in Dotationem
 »novarum Parochiarum, Ecclesiarum, Ludimagistrorum,
 »Fundationem item cum tempore Basilatarum Monasterii
 »Comparationem, aut de novo Exstructionem Domorum
 »Canonicalium, ac in genere pro quibuscunque aliis etiam
 »ad promovendam Sacram Unionem in Diocesi hac
 »occurrentibus Necessitatibus sensim ad vires ejusdem
 »summae convertatur, quam nihilominus Summam, sub
 »titulo Cassae Parochorum, quorsum nempe eadem
 »modalitate eatenus praescripta influere debet,
 »non nisi erga Consilium Nostri Regii Locumtenentis
 »Hungarici adsignationem, dandasque super
 »Expensis Rationes, erogari clementer volumus,
 »ac denique eidem Cassae Parochorum ad creandum
 »Fundum complurium piarum adsignationum adhuc
 »alios bismille quingentos Florenos Idem Episcopus,
 »suique Successores annue numerare teneantur,
 »sintque obstricti,*

* Onera haec, initio, Dominio Episcopali incumbentia, et taxative hic enumerata, posteaquam eorum intuitu, per posteriores Altissimas Resolutiones, aliae, progressive, factae sunt dispositiones, utpote jam per Urbaniarum etiam Obligatoriarum Domini conversiones permutata et compensata, non amplius subsistunt. Nota

» reliquos vero universos a depuratione praespecificatorum
 » Onerum remanentes Domini ejusdem Belényes, qui juxta
 » modernum Aestimationis Calculum Summam Sex mille
 » Florcnorum facile constituunt, titulo Congruae, et Men-
 » sae suae Episcopalis, Redituum percipere possit, ac va-
 » leat, suique in Episcopatu Successores percipere possint,
 » ac valeant, atque ab Onere ultro pendendae Viginti per
 » Centum Quottae, seu ad Cassam Parochorum, seu vero
 » alteram Cassam Fortificatoriam vigore harum Foundationa-
 » lium perpetuo immunes sint: imo conferimus, donamus,
 » et irrevocabiler tenendum, possidendum, habendum, pa-
 » riter, et usuandum, reservantes caeteroquin Nobis, et
 » Successoribus Nostris, Hungariae Regibus, in praemen-
 » tionato Capitulo Jus quaevis Beneficia Ecclesiastica, et
 » Canonicatus conferendi, admissa duntaxat ipsi Episcopo
 » in casu singulae Vacantiae pro tali supplenda duorum
 » idoneorum Subjectorum Electione, et Nobis demissa Prae-
 » sentatione, citra tamen Potestatis Nostrae in hoc vel illo
 » Subjecto denominando Restrictione; quae omnia dum
 » mente, animoque deliberato, et ex Plenitudiae Potestatis
 » Nostrae Regiae hisce clementer statuimus, fundamus, et
 » ordinamus, una non ambigimus, quod quemadmodum hic
 » per Nos clementer neo-erectus et fundatus Episcopatus
 » unice ad Incrementum Sacrae Unionis, per idque magis,
 » ac melius promovendam Animarum Graeco-Catholicarum
 » Salutem directus est, eique ad suam Consistentiam perdu-
 » cendo, Nos omni Cura, et Sollicitudine, intenti fuimus, ita No-
 » stri quoque Successores Hungariae Reges non minori Sollici-
 » tudinis Studio, salutare hoc et pientissimum Institutum No-


est enim Altissima Sacratissimae Suae Majestatis FRANCISCI-JOSEPHI I. Reso-
 lutio die 6 Novembris 1857. emanata, vi ejus, Sua Majestas Foundationem
 3.000.000 florenum, per Excelsam Chororum Episcoporum Hungariae in sublevamen
 Fundi Religionis pro succolandis Seminariis Clericorum in Urbialibus Obligato-
 rialibus factam, clementissime ratam habens, eosdem una Episcopos, non solum a
 pendendo ulterius subsidio ecclesiastico pro Fortaliis absolvit, verum ab omnibus
 etiam praestationibus Fundo Regulatorum Episcopatum, et pro Cassa Parocho-
 rum Fundo Religionis in posterum inferendis, omnino immunes esse voluit. Quam
 eandem Foundationem, e radicalibus omnium Episcopatum Hungariae bonis con-
 flatam, Summus etiam Pontifex Romanus PIUS IX. per Breve Apostolicum die
 3. Decembris 1858. emanatum, Auctoritate Apostolica confirmavit.

» strum in omne Aevum firmiter manutenturi subsequenter to-
 » tum id, quod ad neo-erectum, et fundatum huncce Episcopa-
 » tum Graeco-Catholicum praevia ratione per Nos clementer
 » collatum habetur, tamquam pro perpetuo destinatum
 » Fundationalem Dotem absque diminutione in sua integri-
 » tate conservaturi, et pro ratione *Circumstantiarum novis*
 » *etiam Gratiis, favoribusque sint adaucturi.* Qua propter
 » omnibus et singulis, quorum interest, aut futuris quibusvis
 » temporibus intererit, benigne praecipimus et mandamus
 » quatenus Praesentem salutarem, pientissimamque Funda-
 » tionem, et ordinationem Nostram in quibusvis evenire
 » queuntibus Casibus ad amussim observare noverint, neque
 » eidem sub incursu Indignationis Regiae quaqua ratione
 » contravenire praesumant. In quorum majus Robur, per-
 » petuamque firmitatem hasce Secreto majori Sigillo Nostro,
 » quo ut Rex Hungariae Apostolicus utimur, impendenti
 » communitas extradandas esse duximus, et concedendas
 » Literas Fundationales. Datum per Manus Fidelis Nostri
 » Nobis Sincere dilecti, Spectabilis, ac Magnifici Comitum
 » Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui Comitum in
 » Frakno, Aurei Velleris et una Insignis Ordinis Sancti
 » Stephani Regis Apostolici Magnae Crucis Equitis, Came-
 » rarii, Consilarii Nostri Actualis Intimi, Comitatus
 » Mossoniensis Supremi Comitum, Curiae Nostrae Regiae
 » per Hungariam Magistri et per idem Nostrum Regnum
 » Hungariae Aulae Nostrae, prout et praefati Insignis Or-
 » dinis Sancti Stephani Cancellarii, in Archiducali Civitate
 » Nostra Vienna Austriae, *Die Decima sexta Mensis Fe-*
 » *bruarii Anno Domini Millesimo Septingentesimo Octuage-*
 » *simo primo;* Regnorum Nostrorum Romani Decimo sexto,
 » Hungariae, Bohemiae, et reliquorum Anno Primo. Etc.
 » etc. JOSEPHUS m. pr. Comes Franciscus Eszterházy
 » m. pr. Josephus Gaszner m. pr. (L. S.)«

Ea vero, quae, quoad Dioecesis Magno-Varadinensis
 Graeci Ritus Catholicae, e Dioecesi Latini Ritus ejusdem
 nominis dismembratae, canonicam erectionem et dotationem
 hucusque fusius sunt exposita, Schematismus historicus
 Venerabilis Cleri Dioecesis Magno-Varadinensis Latinorum
 anni 1896 (pag. 76.) sic eleganti brevitate complectitur:
 » mox post decennium (ab 1765 computatum) distincto epi-

»scopatui subordinantur (Gracco-Catholici), secum abdu-
 »centes, sicut nuptui tradita filia, maternam avitae Dioe-
 »cesis Váradiensis (L. R.) benedictionem et instar dotis e
 »S. Ladislai regis Hungariae fundatione, dominium Be-
 »lényesiense.«

Moyse Drágossy primo Episcopo dioecetano die 16
 Aprilis 1787. vita functo, habuit successorem IGNATIUM
 DARABANTH, ex Ordine S. Basilii Magni, Monasterio
 Balásfalviensi, Dioecesi Transylvaniae Fogarasiensi, die 8
 Aprilis 1788. clementer nominatum. Sub hoc Episcopo Ca-
 pitulum Cathedrale, auctum est sexto Stallo Canonicali.
 Cum enim nomine et in persona hujus Episcopi supplicatum
 fuisset Sacratissimae Suae Majestati LEOPOLDO II., qua-
 tenus Sua Majestas Literas Fundationales Confirmatorias
 JOSEPHI II. superius recensitas, omniaque et singula in iis-
 dem contenta ratas, gratas et accepta habens, Literisque
 Suis inseri et inscribi faciens, acceptare, approbare, ratifi-
 careque, quam et insuper Bismille quingentos Florenos, qui
 in regulativo erectionis Episcopatus instrumento, ex pro-
 ventibus episcopalis Domini Belényesiensis ad Fundum
 Religiosum destinabantur, pro augendo Canonico numero,
 meliorique omnium Capitularium tenuiter provisorum
 subsistentia clementissime adplicare dignaretur: Benignae
 Suae Majestatis Literae Privilegiales die 14. Martii 1791.
 emanatae et sub No. 3137 ex 1791. expeditae, quoad haec,
 inter alia sequentia continent: »Unde Nos pro solita Pie-
 »tate et Clementia Nostra, ac solerti in universis iis, quae
 »ad Majorem Cultus Divini Promotionem et Orthodoxae
 »Romano Catholicae Fidei, consequenter totius Ecclesiae
 »Propagationem et gloriam conferre, aut quidpiam Momenti
 »addere possent, paterna Cura, et Sollicitudine, proque
 »Regio Nostro Apostolico Munere, pro Parte memorati
 »Graeci Ritus Catholici Episcopi facta apud Majestatem
 »Nostram humillima supplicatione, Regia Benignitate ex-
 »audita clementer et admissa, non solum praememoratas
 »Serenissimi condam Imperatoris et Regis Fratris Nostri
 »Literas Fundationales Confirmatorias non abrasas, non
 »cancellatas, neque in aliqua sui Parte suspectas, sed omni
 »prorsus vitio, et suspitione carentes, praesentibus Literis
 »Privilegialibus de verbo ad verbum sine Diminutione et




IGNATIUS DARABANTH

II. Episcopus Dioecetanus.

»Augmento aliquali insertas et inscriptas quoad omnes
 »earundem continentias quatenus eadem rite, ac legitime
 »existunt emanatae, Viribusque earundem Veritas Suffragatur
 »Auctoritate Nostra Caesareo Regia et in effectum Articuli
 »Trigesimi secundi recenter Anno quippe modo labente
 »Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Primo celebratae
 »Dietae, approbavimus, roboravimus, ratificavimus, ac per-
 »petuo valituras benignissime confirmavimus; *Verum in-*
 »*super; cum Nos piam et salutarem hanc Foundationem*
 »*unice propagandae magis ejusdem Graeci Ritus, cum*
 »*Romano Catholica Ecclesia Unionis, et hinc augendi Cul-*
 »*tus Divini Causa institutam esse compererimus, novis etiam*
 »*Gratiis et Favoribus clementer prosequi velimus; Hinc*
 »*Capitulum praefati Episcopatus Graeci Ritus Catholicorum*
 »*Magno-Varadiensis alias cum quinque Canonicis fundatum,*
 »*nova unius adhuc sexti Futuri Canonici Foundatione, ac*
 »*ampliori omnium sex dotatione augere benigne decre-*
 »*vimus.*

Hic idem episcopus *Ignatius Darabanth* impetravit
 a Sacratissima Sua Majestate LEOPOLDO II. etiam Funda-
 tionem Seminarii pro educanda juventute pro Clero juniore
 succrescente. Quosuper sub dato 30 Januarii 1792 ema-
 navit altissima Resolutio regia, per Regium Locumtenen-
 tiale Consilium Hungaricum die 21. Februarii 1792. Nr.
 3230 intimata. Cujus Intimati tenor sequens est: »Illustris
 »plurimum Reverende Amice, Illustrissime, et Reverendis-
 »sime Domine Episcopo, Nobis Observandissime! Porrecta
 »per Praetitulatam Dominationem Vestram Altissimo loco
 »Instantia et in ea facta, quoad erigendum pro Juniore
 »Clero suo et saeculari juventute Magno-Varadini Semi-
 »narium propositio, cum Consilio hoc R. L. fine depro-
 »mendae opinionis de Benigno Jussu Communicata, ad
 »sequentia tria capita reducebatur, nempe: 1. Ad neces-
 »sitate erigendi, pro dioecesis hujus natione valachica,
 »Seminarii; et dimanaturam ex hoc in Dioecesim; ac pu-
 »blicum utilitatem. 2. Adminicula, et media, ad finem hunc
 »assequendum deservientia, et 3. modum atque rationem
 »educandae in hoc Seminario Valachicae Juventutis. —
 »Quibus debite examinatis, et Suae Majestati abhinc re-
 »praesentatis, dignata est Sua Majestas Sacratissima sub



SEMINARIUM DOMESTICUM PER LEOPOLDUM II. ANNO MDCCXCII. FUND.

»dato 30 Jan. anni hujus benigne resolvere, ut Ad 1-um,
 »cum plebs valachica a necessaria cultura recipienda, quam
 »maxime aliena sit, neque alia ratione ad frequentandas
 »Catecheses, ac scholas, condiscendaque religionis, et
 »moralis Christianae principia, allici queat, quam si videat
 »per Clerum, et Ludimagistros suos proles etiam in lectura,
 »ac scriptura, nationi huic propria, Ritu, Cantu, ac Cere-
 »moniis Graeco Catholicae Ecclesiae institui; atque ad
 »obtinendum salutarem hunc finem, plurimum intersit, ut et
 »Clerici, et Ludimagistri, a teneris unguiculis, bonam, ne-
 »cessariamque accipiant educationem, Institutum proinde
 »hoc tam ad instar Seminarii ex quo successio junioris
 »Cleri procuranda est, quam in vicem scholae praeparan-
 »dorum, ex qua boni, utilesque magistri prodituri sperantur,
 »considerandum sit; postulatum istud Seminarium, velut
 »pro Religionis Catholicae Incremento, ac excolenda nati-
 »one valachica, adeoque ipso Bono publico, et summe
 »necessarium, et utilissimum quo celerius instituatur. Ad
 »2-dum. Cum ad adminicula, et media, pro salutari hoc
 »Instituto constabiliendo, deservientia, referantur necessaria
 »aedificia, moderatores, domus ac magistri et stabilis fun-
 »dus intertentionis, Sua Majestas Sacratissima relate ad
 »haec benigne decrevit, ut Residentia abolitae Societatis
 »Magno-Varadiensis, quae vi fundationalium Augustissimae
 »Dominae M. Theresiae pro erigendo monasterio Basilita-
 »rum, cum adnexis aedificiis destinata erat atque hactenus
 »per Canonicos Graeco Catholicos inhabitabatur, ad usus
 »Instituti hujus Seminariales eousque convertatur, donec
 »necessitas, et media, Basilitas instituendi, adfuerint. —
 »Cum autem in plerisque Hungariae Capitulis usu receptum
 »sit, ut Capitula e gremio sui Rectores, seu moderatores
 »Seminariorum sine salario eligant, ac praebeant, Benigne
 »vult Sua Majestas, ut semper e gremio Graeco Catho-
 »lici M.-Varadiensis Capituli Rector, talis tamen, deligatur,
 »qui reliquis praestantior, aptiorque ad necessariam, et
 »salutari huic Instituto convenientem educationem, Juven-
 »tuti praebendam, videbitur. — Quod vero Professores
 »attinet, ea est positiva voluntas Regia, ut Juventus, ad
 »Seminarium hoc suscipienda, inde a scholis nationalibus
 »incipiendo, scholas publicas omnes in Archi Gymnasio, et

»Academia M.-Varadiensi frequentet, et quoad omnia ob-
 »jecta, Studiorum Directioni Literariae plene subordinetur,
 »Clerici vero Studio Theologico operam navaturi, sacra-
 »tiores has disciplinas in Seminario Latini Ritus M.-Varadi-
 »ensi juxta praescriptum planum, tradendas excipere teneantur:
 »ut adeo novella haec fundatio, nec in moderationem domus,
 »nec in Institutionem Literariam (demptis solis iis, qui Juventu-
 »tem in Scriptura, lectione, Ritu, Cantu propius instituere, atque
 »moderate solvi debent) ullas expensas facere obligabi-
 »tur. — Fundus porro, ex quo stabiliter Domus Instituti
 »hujus providenda est, is, Benigne annuente Sua Majestate
 »defigitur, qui pro Clero Juniore hujus dioecesis resolutus,
 »jam praevis fuerat, et actu in annuis 3896 fl. 40 cr.
 »subsistit, nempe: Ex Rata summae decem millium a
 »Dominis Bél et Vasko obvenientis, ac fundatione Janiana
 »in simul 2696 fl. 40 cr.
 »Ex proventibus Eppatus G. R. Catholico-
 »rum M.-Varadiensis ad fundum Semina-
 »rialem hactenus etiam illatis annue . . . 1200 fl. — cr.
 »In summa 3896 fl. 40 cr.
 »Quae summa, cum vix pro Juvenum Nr. 30 (qui numerus
 »per praesentem Benignam Resolutionem defigitur) neces-
 »saria intertentione, initio peculiariter, suffectura sit, cle-
 »menter indulget Sua Majestas, ut, licet Praetitulata D.
 »Vestra pro laudabili et peculiari suo zelo polliceatur, se
 »defectum, si quis in necessariis, enatus fuerit, propria
 »parsimonia suppleturum, numerus tamen Juvenum intertenuen-
 »dorum, nunc initio ad 26 restringi possit quoad pia ali-
 »orum liberalitate, fundus hic majora cepit incrementa.
 »— Ad 3-m. Modus et ratio educandae in hoc Seminario
 »valachicae Juventutis, aut respicit objecta Religionis atque
 »morum, aut studiorum, aut internae disciplinae, et ordi-
 »nis domestici. — Relate ad Rem Religionis et morum,
 »ac quae cum hac connexa sunt uti Ritus, Ceremonias et
 »Cantum, jubet Sua Majestas, pro Apostolico Suo munere, ut
 »Juventus ad hoc Seminarium recipienda, praepremis in veris,
 »puris ac genuinis Graeco Catholicae, seu cum latina Unitae
 »Ecclesiae Religionis, ac purae moralis Christianae principiis,
 »omni cum zelo et studio instituatur, atque a teneris Ritus, Cere-
 »monias, et Cantum Graecae Ecclesiae discat, et in his pra-

»ctice etiam saepius exerceatur. — Circa objecta vero studiorum,
 »clementer vult Sua Majestas, ut quemadmodum jam supra att-
 »ctum est, Juventus haec, incipiendo a scholis nationalibus, usque
 »ad finem cursus philosophici, scholas publicas in Academia M.-
 »Varadiensi frequentet, adeoque Directioni Literariae plene
 »subjecta sit; studentes vero Theologiae, disciplinas has in Se-
 »minario Latini Ritus M.-Varadiensi excipiant. Cum tamen Ju-
 »ventus haec, nec in nationalibus scholis, nec in Academia, habi-
 »tura sit occasionem condiscendi lectionem et scripturam, huic
 »nationi propriam, ideo interteneri debet in hoc Seminario
 »magister, a quo in his, vernaculo suo Idiomate, eadem
 »Juventus, horis vacuis, instituatur. — Quod tandem ordi-
 »nem domesticum, et internam Disciplinam attinet, ea est
 »altissima voluntas Regia, ut cum educatio Juventutis in
 »hoc Instituto, duplicem, utilissimum scopum habeat, for-
 »mandi nempe praeclaros animarum Curatores, et bonos
 »Ludimagistros, ac inde suapte appareat, mixtam hanc
 »educationem futuram, Praetitulata D. Vestra concertanter
 »cum Regia districtuali Studiorum Directione quo celerius
 »Planum, juxta locales Instituti hujus circumstantias quoad
 »hoc solum punctum elaboret, reflexe 1-o temporis distri-
 »butionem, et ordinem diurnum, eo exacte observato, ne
 »quid praelectionibus publicis, in quacumque classe detra-
 »hatur. 2-o Circa subordinationem et obedientiam Superi-
 »oribus debitam, et horum discretam, ac zelosam mode-
 »rationem et curam. 3-o Circa administrationem rei do-
 »mesticae, uti victus, amictus, curae valetudinis, servitiis,
 »necessariae munditiei, et reliqua id genus, quae ad salu-
 »tarem hunc finem obtinendum, necessaria atque utilia,
 »pro circumstantiarum exigentia, videbuntur, Planumque
 »hoc praemissa modalitate conficiendum, et utrinque sub-
 »scribendum, horsum pro Benigna ratificatione regia pro-
 »curanda submitatur. — In reliquo Res domus oecono-
 »mica, Administratio fundi hujus proventualis in 3896
 »flnis 40 cris, ut supra ad 2-dum punctum attactum est,
 »subsistentis, delectus Juvenum, ad hoc Seminarium su-
 »scipiendorum, ac Cleri Junioris Institutio in iis, quae ad
 »Clericalem disciplinam juxta morem Ecclesiae Graecae
 »stricte pertinent Praetitulatae D. Vestrae et ejusdem in
 »hoc Eppatu G. Catholicis successoribus plene quidem




ECCLESIA CATHEDRALIS.

»relinquitur, ac clementer conceditur, cum tamen Suae
 »Majestati superius inspectio omnium piarum fundationum, vi
 »Legum patriarum competat, ideo singulis annis, cum fine
 »mensis Octobris Rationes, suis documentis provisac, super
 »perceptis, et erogatis, cum separata relatione quoad fa-
 »ctum eo anno progressum in re religionis, ac morum, et
 »literis, ad Consilium istud R. Locumtenentiale submitten-
 »dae sunt. Quod vero juvenum delectum attinet, hi prae-
 »primis ex Comitibus, Dioecesi M.-Varadiensi G. Catho-
 »licae ingremiatis, et tales deligendi sunt, qui aptiores
 »ad finem hunc videbuntur, et pauperibus, prolibus-
 »que onustis, neque mediis, necessariam prolibus suis
 »educationem praebendi, pollentibus, parentibus nati sunt.
 »— Quam Clementissimam Resolutionem, Consilium hoc
 »R. Locumtenentiale, de altissimo Jussu Regio, Praetitula-
 »tae D. Vestrae eo addito intimat, quod Sua Majestas
 »Sacratissima interea etiam, donec praeattactum Planum
 »elaborari poterit, Praetitulatae D. Vestrae indulgeat, ut
 »circa Domus, et aliorum accessoriorum restaurationem,
 »nec non ipsius Juventutis, ac requisitorum Individuorum
 »delectum, tempestive necessaria disponere, finemque in
 »hunc ex fundo Seminarii hujus erigendi, necessarias pe-
 »cunias, seu per partes, seu ad semel (quo in merito ulte-
 »riorem Praetitulatae D. Vestrae declarationem, Consilium
 »hoc R. Locumtenentiale praestolabitur) levare possit.
 »Datum ex Consilio Regio Locumtenentiale Hungarico,
 »Budae die 21-a Februarii, anno Millesimo Septingentesimo,
 »nonagesimo secundo celebrato Praetitulatae D. Vestrae, Ad
 »officia paratus et paratissimi: Comes Carolus »Zichy m. pr.
 »Franciscus S. Kerletz m. pr. Josephus Lónyay m. pr.

Episcopus Ignatius Darabanth erexit etiam nobilissi-
 mam turrin Ecclesiae Cathedralis, 19 Junii 1836 infausto
 incendio in cineres redactam, adjecta etiam Ecclesia, cujus
 aedificationem non consummavit; sed legata notabili summa
 successori consummandam reliquit. — Obiit in Domino 31
 Octobris 1805, qua una Suae Majestatis Sacratissimae
 Actualis Intimus Status Consiliarius.

Huic in Episcopatu successit SAMUEL VULCAN, e
 Canonico Lectore 25 Octobris 1806 clementer nominatus
 Episcopus. Sub hoc Episcopo, vi Bullae Pontificiae »Im-



SAMUEL VULCAN

III. Episcopus Dioecesanus.

posita humilitati Nostrae PII VII. quinto nonas julii 1823 emanatae, per dismembrationem archidiaconatus *Szathmariensis* a Dioecesi Munkácsiensi Graeci Ritus, ejusque Dioecesi Graeci Ritus Cath. Magno-Varadinensi unionem, 72 Parochiae Dioecesi accesserunt. Tenor autem Literarum Apostolicarum, hanc dismembrationem et unionem disponentium, teste Bullario Romano (Constit. MXCVIII Pii VII) sequens est:

»PIUS episcopus, Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. §. 1. Imposita humilitati Nostrae in rem christianam universam sollicitudo, proferre Nos adigit apostolicae benignitatis dispensationem ad ea comparanda, quibus in dominici gregis utilitates facilius prospectum iri dignoscamus. Hoc proinde consilio in eas dioecesium divisiones annuendum, ut plurimum censuimus, quibus facilius, atque commodior sacrarum procuratio fidei populo conciliaretur. — §. 2. Neque alia de causa preces audiendas duximus, quibus carissimus in Christo filius Noster Franciscus primus Austriae Imperator, atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus superioribus annis institerat, ut ab Episcopatu Munkácsiensi Graeci Ritus catholici amplissima dioecesi tot loca separaremus, quot essent satis ad alteram episcopalem sedem noviter constabiliendam; itemque nonnulla alia sejungeremus alteri jam existenti sedi episcopali incorporanda. Factum inde fuit, ut quinquennio ante omnibus opportune compositis per apostolicas sub plumbo literas datas decimo kalendas octobris anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimo octavo novam Eperjesiensem Graeci Ritus catholici episcopalem Ecclesiam crexerimus. Nunc vero quoniam laudatus Franciscus imperator et rex per dilectum filium Antonium comitem Appony suum apud Nos et hanc apostolicam sedem oratorem extraordinarium preces iteravit, ut ab antedicta dioecesi Munkácsiensi infrascripta loca dismembrando eadem uniamus Magno-Varadiensi dioecesi Graeci pariter catholici ritus; cumque habito etiam venerabilis fratris Alexii moderni episcopi Munkácsiensis expresso consensu, luculentis et testimoniis, monumentisque Nobis constiterit novam hanc dispositionem in summum illius populi commodum fore cessuram, idcirco

»ejusmodi petitioni benigne annuendum in Domino censuimus. — §. 3. Quare omnibus accurate ac diligenter perpen-
»sis, ut catholicorum Graeci ritus uniti in illis partibus
»degentium spirituali regimini facilius consulatur ex certa
»scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostoli-
»cae potestatis plenitudine a Munkácsiensi Graeci ritus
»catholici dioecesi perpetuo dismembramus, sejungimus ac
»separamus archidiaconatum Szathmariensem sex vice-archi-
»diaconatus complectentem cum septuaginta duabus paroe-
»ciis, nempe ex Vice-Archi-Diaconatu *Szathmariensi* in
»comitatu ejusdem nominis Paroecias nuncupatas Óvári,
»Porcsalma, Vctés, Dob, Bagos, Csenger-Ujfalu; ex vice-
»archi-diaconatu *Magno-Karolyiensi* paroecias nominatas
»Nagy-Károly Valachorum, Nagy-Karoly Ruthenorum,
»Vezend, Portelek, Dengeleg, Enderéd, Reszege, Körtvé-
»lyes, Szaniszló, Csomaköz, Kis-Majtény, Domahida, Szent-
»Miklós, Esztró, Gencs, Mező-Terem, Kaplony; ex vice-
»archi-diaconatu *Nyirensi* in Comitatu Szathmáriensi paroe-
»cias vocitatas Lugos, Fábianháza, Vasváry, Ders, Császári,
»Gebe, Hodász, Parasznya, Penészlek; * ex vice-archidi-
»aconatu *Bikallyensi* in Comitatu Szathmáriensi paroecias
»denominatas Nántü, Alsó-Boldád, Rákos-Terebes, Kis-
»Szokond, Nagy-Szokond, Felső-Boldád, Oláh-Hodos, Med-
»des, Oláh-Gyürös, Gyöngy, ac paroecias Alsó-Szopor et
»Kegyé in Comitatu Szolnok-mediocri; ex vice-archi-dia-
»conatu *Erdődiensi* in Comitatu Szathmáriensi paroecias
»nuncupatas Madarász, Töke-Terebes, Piskárkos, Zsadány,
»Amác, Nagy-Kulcs, Ivácskó, Pácza-falu, Közép-Homo-
»ród, Réz-Telek, Oroszfalu; et ex vice-archi-diaconatu
»*Erdőszadiensi* in Comitatu Szathmáriensi paroecias voci-
»tatas Erdőszáda, Remete-Mező, Oláh-Ujfalu, Tomány,
»Veresmart, Borhid, Lipó, ** Krassó, Cziko, *** Oláh-Tót-

* Hae tamen novem paroeciae districtus *Nyirensis* hic recensitae, utpote „*Jabii ruthenicii*“ post praevias pertractationes, die 28 Augusti 1827 *per cambium*, Dioecesi Munkácsiensi reincorporatae sunt, earum loco, tanquam „*Jabii valachici*“, sequentibus novem paroeciis, Dioecesi Magno-Varadinensi resignatis, nempe: 1. Ér-Kencz, 2. Szent-György-Ábrány, 3. Nyir-Adony, 4. Csegöld, 5. Pete, 6. Busák, 7. Aranyos-Mező, 8. Nagy-Bozinta, et 9. Szaszár.

** Cziko, sive Csikó (Cirau) de praesenti est filialis Parochiae Sülelmed, in Dioecesi Szamosújváriensi.


»falu, Farkas-Aszó, Szakálos-Bikó, Barlafalu, Mogyorós,
 »Pap-Bikó, Válaszut, ac Balotafalu et in eis respective exi-
 »stentes collegiatas, si quae sint, filiales, et alias quascum-
 »que ecclesias, abbatias, monasteria, et conventus, nec
 »non utriusque sexus habitatores et incolas Graeci ritus
 »uniti tam ecclesiasticos quam laicos ab ordinaria juris-
 »dictione, potestate ac superioritate episcopi Munkacsiensis
 »omnino eximimus et liberamus, dictumque archidiaconatum
 »cum sex enunciatis vice-archidiaconatibus, ac memoratis
 »septuaginta duabus paroeciis dioecesi magno Varadiensi
 »perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, omnes in
 »illis habitatores, et incolas Graeci ritus uniti cujusvis
 »gradus, status, ordinis, et conditionis ordinariae jurisdi-
 »ctioni, regimini, potestati, auctoritati, et superioritati mo-
 »derna, ac pro tempore existentis Graeco-catholici epi-
 »scopi Magno-Varadiensis perpetuo item subijcimus, atque
 »supponimus; ea tamen expresse adjecta lege, ut
 »tam venerabilis frater SAMUEL hodiernus episcopus
 »Magno-Varadiensis, quam omnes ejus in eodem episco-
 »patu successores nullum unquam ordinariae jurisdictioni
 »episcoporum catholicorum Latini ritus, quam ipsi in
 »suos subditos ejusdem ritus Latini in paroeciis ut
 »supra dismembratis exercent, praejudicium sub quo-
 »cumque praetextu inferre praesumant, sed antedictus epi-
 »scopus Magno-Varadiensis, illiusque pro tempore successores
 »jurisdictionem suam in clerum et populum Ruthenorum
 »Graeci ritus uniti, inque alios eundem ritum et unionem
 »sequentes dumtaxat valeat exercere, servantes adamus-
 »sim et exacte adimplentes omnia et singula decreta ab
 »hac sacra congregatione de Propaganda Fide quoad
 »Graecos cum Latinis immixtim viventes pluries emanata.
 »— §. 4. Quocirca venerabili fratri Paulo archiepiscopo
 »Ephesino Nostro, et apostolicae Sedis apud supralauda-
 »tum Franciscum imperatorem ac regem nuntio, quem in
 »harum litterarum Nostrarum exequentorem eligimus, et de-
 »putamus necessarias omnes et opportunas ad praemisso-
 »rum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates
 »etiam quamcumque personam in ecclesiastica dignitate con-
 »stitutam subdelegandi, ac super quacumque oppositione
 »adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan

»oritura, servatis de jure servandis etiam definitive, et quavis
 »appellatione remota, libere ac licite pronunciandi. Eidem
 »vero Paulo archiepiscopo et nuntio injungimus, ut actorum
 »omnium in praemissorum exequutione conficiendorum authen-
 »tica exempla suo tempore Romam transmittat in archivio sa-
 »crae congregationis rebus consistorialibus praepositae de mo-
 »re asservanda.* — §. 5. Praesentes autem literas, et in
 »eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet inte-
 »resse habentes, seu habere praetendentes vocati et auditi
 »non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam
 »tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis
 »vicio, seu intentionis Nostrae defectu impugnari vel in
 »controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et effi-
 »caces existere et fore, suosque plenarios, et integros
 »effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spe-
 »ctat inviolabiliter observari debere volumus atque decerni-
 »mus. — §. 6. Non obstantibus de jure quaesito non
 »tollendo, ac Nostris et cancellariae apostolicae regulis et
 »in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis
 »editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et
 »ordinationibus apostolicis, supradictarumque Munkacsi-
 »ensis ac Magno-Varadiensis ecclesiarum etiam confirma-
 »tione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statu-
 »tis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis
 »apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. — §. 7.
 »Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostra-
 »rum dismembrationis, sejunctionis, separationis, exemptio-
 »nis, liberationis, unionis, annexionis, incorporationis, sub-
 »jectionis, suppositionis, statuti, commissionis, deputationis,
 »mandati, decreti, derogationis, ac voluntatis infringere
 »vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare
 »praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beato-
 »rum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursu-

* Mortuo interea Nuntio Apostolico PAULO LEARDI, cui exequutio harum
 Litterarum Apostolicarum commissa est, atque ipso etiam Pontifice PIO VII. vita
 functo, hujus in Pontificatu Romano successor LEO XII, per Rescriptum Sacrae
 Congregationis Consistorialis die 16 Martii 1824 emanatum, in earundem Apostoli-
 carum Litterarum exequentorem deputavit JOSEPHUM VURUM, Episcopum Vara-
 diensem Latini Ritus, qui hoc sibi injunctum munus die 20 Septembris 1824 ada-
 mussim et sua forma peregit, quemadmodum ejusdem Litterae formatae, desuper
 exaratae, id testatum reddunt.

»rum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno
 »incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo
 »tertio, quinto nonas julii pontificatus Nostri anno vigesimo-
 »quarto.« (Cfr Acta Archivi dioec. ex 1824. Nr. 148.)

Idem SAMUEL VULCAN Episcopus Gymnasium majus Belényesini, Oppido Domini Episcopalis erexit, atque cum Septuaginta quinque millibus (75.000) florenis conv. mon. dotavit. Literas Fundationales ejusdem, desuper die 2 Julii 1836, ea ex occasione exaratas, quod constitutum per se jam anno 1828 cum benigno annutu Regio Gymnasium minus, ad »integrum Gymnasium majus« evexerat, atque Literis Privilegialibus Sacratissimae Suae Majestatis FERDINANDI, qua Regis Hungariae, hoc nomine QUINTI, die 19 Novembris 1836. emanatis de verbo ad verbum insertas, Sua Majestas sequenti ratione benigne confirmare dignata est :
 »Nos itaque pro solita atque paterna, qua erga pias fundationes ferimur cura et sollicitudine, humillima supplicatione Nostrae modo, quo supra, Majestati facta, regia benignitate exaudita clementer et admissa, praeinsertas saepiusfati Episcopi Magno-Varadinensis Graeci Ritus Catholicorum SAMUELIS VULCAN Munificas Fundationales Literas, Majestati Nostrae ut praemissum est, in specie exhibitas, non abrasas, non cancellatas neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, Praesentibus Literis Nostris Privilegialibus de verbo ad verbum, sine diminutione, et augmento aliquali insertas, et inscriptas, quoad omnes eorundem continentias et clausulas, conditionesque et articulos, ratas, gratas, et acceptas habentes praedecarata autoritate Nostra Caesareo-Regia benigne acceptavimus, roboravimus, approbavimus, ratificavimus, ac pro crebriusfato Gymnasio Majori Belényesiensi modo praevio fundato in perpetuum valituras, clementer confirmavimus, ac benignum etiam superinde consensum Nostrum regium praebuimus et assensum. Imo approbamus, roboramus, ratificamus, confirmamus, Nostrumque regium consensum benevolum pariter praebemus et assensum; salvo tamen supremo, quod relate ad quarumvis foundationum administrationem Majestati Nostrae competit, Inspectionis Jure, prout et alieno, salvis item et praeeistentibus, et quas in futurum defigere Nobis visum




GYMNASIUM MAJUS BELÉNYESIENSE

per Eppum Samuelem Vulcani fundatum et per Eppum Michaelem Porel restauratum. locupletatum et auctum.

foret, in re Literaria altissimis dispositionibus Nostris.
 »Harum Nostrarum Secreto Sigillo Nostro, quo ut Rex
 »Hungariae Apostolicus utimur, in pendenti communitarum
 »vigore et testimonio Literarum. Datum etc.« (Sub Nr.
 »15160 L. 380 ex 1836.)

Samuel Vulcan obiit in Domino die 25 Decembris 1839, qua Sacratissimae Suae Majestatis Intimus Status Consiliarius.

Eum in Episcopatu excepit BASILIUS L. BAR. ERDÉLYI, e Canonico Custode Ecclesiae Cathedralis et Seminarii domestici Rectore, 2 Augusti 1842 in Episcopum clementer nominatus, 30 Januarii 1843 per Summum Pontificem Romanum GREGORIUM XVI praeconisatus, 11 Junii autem ejusdem anni in festo Pentecostes, per Joannem Leményi Episcopum Fogarasiensem, Balásfalvae consecratus, et 18 Junii mox insequente solemniter installatus. Hic Episcopus Capituli Praeposito facultatem crucem pectoralem gestandi impetravit, talemque crucem pro Praepositis Capituli cum annulo donavit; pro Canonicis vero actualibus impetravit decorationem capitularem, crucem videlicet, a rotundatis extremitatibus suis incisam et in parte antica infuso coccineo colore encaustam, ac limbo aureo provisam, cujus centro incumbit cyanei coloris scutum formae ovalis, inter singulas crucis trabes quinque radiis aureis fasciatim prominentibus ornatum, quod integram effigiem Sancti Nicolai, Cathedralis Ecclesiae Patroni, continet; hancque crucem, e saenia coccinei coloris undulata, per ansam auream traducta et concinna fibula mobili provisa, in pectore pendentem, gestant Canonici. — Sed quod potius est, sub hoc Praesule Clerus 72 Parochiarum, ut supra, a Dioecesi Munkácsiensi dismembratarum et huic incorporatarum, congruam accepit, atque Sacra Unio, pluribus Parochiis a schismate acquisitis, loco amissarum 1848, propagata est. — Praecipuas etiam habuit partes in eo, quod sanctae memoriae Pontifex Romanus PIUS IX, die 19 Decembris 1853, duas novas Sedes Episcopales graecis catholici, *Lugosiensem* scilicet in antiquo Banatu Temesiensi, et *Armenopolitanam* sive Szamosujvariensem in Transylvania erexit, easque suffraganeas Fogarasiensi lesi ae, quam Alba-juliensi titulo honestatam ad Metro-



BASILIVS L. B. ERDÉLYI

IV. Episcopus Dioecesanus.

politanae Sedis decus et dignitatem excreat, effecit, quemadmodum etiam, quod Summus Pontifex Sedem ipsam Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensem, quae eo usque, inde a sua institutione, metropolitico juri Archiepiscopi Strigoniensis fuit obnoxia, inde subtractam, dictae Sedi Metropolitanae Alba-Julieni decreverit suffragari, adeoque novam hanc Provinciam Ecclesiasticam constituerit.

Quosuper audiendus est ipse s. m. Summus Pontifex PIUS IX, qui Allocutionem Suam in Consistorio Secreto die 19 Decembris 1853 coram Sacro Cardinalium Collegio habitam, sic exorsus est: »In Apostolicae Sedis fastigio tamquam in arce et propugnaculo catholicae fidei »constituti Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pro »tradita sibi divinitus Ecclesiae universae gubernandae potestate, ad Orientalem quoque Ecclesiam paterna studia »converterunt, ac nihil unquam desiderari a se passi sunt, »quod ad illam vel tuendam vel juvandam pertinere posse »videretur. Quantum porro industriae ac solertiae, quantum laboris impenderit, ut qui ex Orientalibus populis a »Romana Ecclesia funesto schismate dissiderent, ad eam »boni volentesque sese adjungerent, et cum supremo in »terris pastore Romano Pontifice tamquam membra cum »capite consociarentur, non est cur fusius explicemus, Venerabiles Fratres; explorata namque Vobis res est, innumerisque testata historiae documentis. Atque illustra haec »paternae sollicitudinis exempla Nos aemulati, jam inde »anno Pontificatus Nostri secundo ad Orientales omnes »Apostolicas dedimus Literas, quibus studiose illos, ac »peramanter hortati sumus, ut ad Sanctae hujus Sedis »communionem reverterentur, eique adhaerere firmiter velent; ejusque conjunctionis necessitatem multis, gravissimisque evicimus argumentis, quae luce veritatis nitent, »quidquid proferre contra ausi fuerint scripto quodam suo »schismatici plures Episcopi, inveteratum illud contra Apostolicam Sedem acerbissimum virus effundentes. Quod quidem »scriptum ad redarguendos schismaticorum errores, ac »pertinaciam curabimus refutandum; interea tamen pro »illorum omnium salute coelestem Patrem luminum orare »atque obsecrare non desistemus, nihil scilicet remittentes

»de christiana charitate, quae patiens et benigna est, cujus »quidem charitatis spiritu perinde ac Nos excitati Praedecessores Nostri sacros ritus, quos Orientalis adhiberet Ecclesia, quosque orthodoxae fidei minime adversari comperissent, non modo non improbandos, sed vero etiam observandos, ac retinendos censuerunt, utpote ipsa antiquitatis »origine commendatos, et a sanctis Patribus non mediocriter ex parte profectos: quin immo orientales ritus deserere, »nisi impetrata Summi Pontificis venia, providentissimislatis Constitutionibus edixerunt fas esse nemini. Noverant siquidem immaculatam Christi sponsam mira quadam varietate distingui, quae non officiat unitati, Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam, omnes complecti populos, nationes, gentes quae fidei unitate et consensione coalescant, diversae licet moribus, linguis ac ritibus, quos »tamen omnium mater et magistra Romana probarit Ecclesia. »Hoc ipsum praeclare noscens gloriosae memoriae Gregorius XVI. Praecessor Noster ad gentem Valacorum graecorum ritus catholici qui in Transylvania consistunt, pastorem vigilantiam et curas intendens, ut eosdem erigeret ac solaretur, et in catholica fide confirmaret peculiarem ipsis Ecclesiasticam graeci ritus Hierarchiam instituere molitus est; verum quod temporum aliisque rerum difficultatibus prohibitus Decessor idem Noster ad optatum perducere exitum nequivit, id Nos, Venerabiles Fratres, non sine praecipuo animi solatio magna ex parte perfecimus. Ac primum quidem gratias persolvimus, ut par est, misericordiarum Patri, cujus coelesti auxilio opus exequi datum est, quod in catholicae Religionis incrementum, et spirituales illius gentis utilitatem eamque maximam cessurum speramus. Debitas deinde tribuimus laudes Carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Josepho Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico, et Bohemiae etc. Regi illustri qui Nobis, non modo suas ad id preces exhibuit, sed vero etiam studium, sollicitudinem, operam, omnia denique contulit, quae a religiosissimo Principe fideique provehendae studiosissimo potuissent expectari. Nec vero praetereundus sine laudis praeconio dilectus filius Noster Card. Ioannes Strigoniensis Archiepiscopus, qui ad promovendam hanc rem tam salutarem, tamque unitati ca-

»tholicae retinendae accomodatam pro viribus incubuit.
 »Quamobrem posteaquam sententiam accepimus quorundam
 »ex ordine vestro, Venerabilium Fratrum Nostrorum, qui-
 »bus tanti momenti negotium accurate examinandum de-
 »mandavimus, ex eorum consilio *duas Episcopales Sedes*
 »*graeci ritus catholici ereximus, Lugosiensem scilicet in Ba-*
 »*natu Temcsiensi, et Armenopolitanam in Transylvania,*
 »*easque suffraganeas esse jussimus Fogarasiensis Ecclesiae,*
 »*quam Episcopali Cathedra jampridem auctam, novissime*
 »*vero Albae Juliensis etiam titulo per Nos decoratam ad*
 »*Metropolitanae Sedis decus et auctoritatem eveximus. Illi*
 »*insuper praeter duas modo erectas Episcopales Sedes Magno-*
 »*Varadiensem etiam graeci Ritus Ecclesiam ab Archiepiscopo*
 »*Strigoniensi subtractam decrevimus suffragari. Jam vero*
 »hac nova constituta Fogarasiensi et Alba Juliensi Eccle-
 »siastica Provincia, non dubitamus, Venerabiles Fratres,
 »quin Valacorum per Transylvaniam diffusa natio catholicae
 »fidei addicta, novo Apostolicae Sedis affecta beneficio,
 »arctiori quodam vinculo copulanda cum ipsa sit, nec non
 »pars illa dominici gregis, aucto pastorum numero, iisque
 »pro suo munere vigilantibus, et vere accedentibus etiam
 »curis Nostris, quas illi numquam desistemus impendere,
 »securior longe ac tutior existat a schismaticorum insidiis
 »et fraudibus, qui nullam praeterire occasionem sinunt avel-
 »lendi fideles a Sanctae hujus Sedis communionem, eosque
 »in aeternae ruinae barathrum detrudendi. Faxit porro
 »dives in misericordia Deus, ut qui schismaticorum impli-
 »cantur erroribus perfusi gratiae coelestis lumine in sinum
 »complexumque catholicae Ecclesiae sese recipiant, ut
 »occurrant omnes in unitatem fidei, omnesque unum corpus
 »simus in Christo conservantes unitatem in vinculo pacis.
 »Id Nos pro ardentissimo quo tenemur desiderio animarum
 »salutis impense optamus precamurque Dominum, qui facit
 »mirabilia solus, ut opus quod inceptum est sua virtute
 »perficiat.« (Ex Actis Pii PP. IX. P. I. Vol. I. pag. 552.)

Sed extant desuper solemnes etiam Literae Apostoli-
 cae, Bullae nempe Pontificiae, quarum ne apud nos exci-
 dat memoria: rei ipsius, de qua in citata Allocutione agi-
 tur, magnitudo, postulat, ut prae oculis semper habeatur
 imprimis Bulla »*Ecclesiam Christi*« Pii IX, ipsius Provinciae

Ecclesiasticae canonicam erectionem respiciens. Hujus autem
 tenor sequens est:

»PIUS Episcopus, Servus servorum Dei. Ad pepe-
 »tuam Rei Memoriam. Ecclesiam Christi, ex omni lingua
 »et populo et natione congregatam, mirabili illa varietate
 »fulgere compertum est, quae pulchritudinem ipsius ac
 »decorem augeat, non officiat unitati. Quippe vitae licet
 »rituum et linguarum genere inter se distinguantur per
 »terrarum orbem diffusi fideles: unius tamen fidei professione
 »conjuncti, unius tanquam corporis compagem effingunt.
 »Hinc Romani Pontifices qui Christi Domini vices fungen-
 »tes in terris, mystici hujus corporis caput sunt, sacros
 »ritus orientalis Ecclesiae, qui et commendarentur vetu-
 »state, et orthodoxae fidei congruerent, non modo non
 »improbarunt, verum etiam summo in pretio habuerunt, et
 »ab omnibus qui illos sequuntur, religiose adeo servandos
 »putarunt, ut ad alios transire ritus absque sua et successo-
 »rum venia, nemini licere constituerint; imo quum ipsis
 »opportunitatem visum fuerit, ea omnia, quae ad Catholicam
 »Hierarchiam sive stabiliendam sive restituendam, penes
 »cunctas Ecclesias Orientalis ritus pertinent, pro suprema
 »Pastoralis Officii sollicitudine decernere numquam destite-
 »runt. Hoc prae oculis habens glor. mem. Gregorius Papa
 »Decimus sextus Praedecessor Noster, pro omnibus Graeco-
 »Catholico ritui addictis in Austriaco Imperio commoran-
 »tibus peculiarem graeci ejusdem ritus Hierarchiam moliri
 »tutus est instituere, id opportunum in primis existimans ad
 »spirituale illius gentis solatium, nec non ad propulsandas
 »schismaticorum insidias, qui abstrahere illam assidue ni-
 »tantur a communionem cum Romana Ecclesia, in qua con-
 »stitutum divinitus est verae fidei magisterium et Catho-
 »licae centrum unitatis. Paternas hasce curas memorati
 »Praedecessoris Nostri aemulari pro animarum salute vo-
 »lentes, quod perficere ipse nequivit ob difficultates et
 »rerum et temporum, id Nos bene juvante Domino, aliqua
 »ex parte exequi constituimus, *proprium erigendo pro Ro-*
 »*menis in Transylvania Ecclesiasticam Graeci Ritus Provin-*
 »*ciam, quae constet tum ex Dioecesi Magno-Varadinensi, a*
 »*Strigoniensi Archiepiscopatu subtracta, tum ex duabus no-*
 »*vis per Nos erectis Dioecesibus, Lugosiensi scilicet in Ba-*

»nata *Temesiensi, et Armenopolitana in Transylvania, cujus*
 »*Ecclesiasticae Provinciae Metropolitanam sedem in Ecclesia*
 »*Fogarasiensi figere decrevimus.* Atque ad hanc rem Ro-
 »menorum genti imprimis opportunam, peragendam, sponte
 »Nos excitatos, suis etiam precibus inflammavit Carissimus
 »in Christo Filius Noster FRANCISCUS JOSEPHUS, hoc
 »nomine PRIMUS, Austriae Imperator, Bohemiae et Hun-
 »gariae Rex Apostolicus, qui votis permotus Universi
 »Ungarici Episcopatus, studio incensus verae religionis, in
 »suae ditionis finibus tutandae, ac promovendae, omnia
 »libentissime detulit, quae ad perfectionem tam salutaris
 »operis necessaria viderentur. Itaque, posteaquam sententiam
 »audivimus nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum,
 »Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quibus tanti
 »momenti negotium ponderandum commisimus; exhibita
 »Nobis, a Venerabili etiam Fratres Nostro Archiepiscopo
 »Strigoniensi, libera quoad haec, Metropolitanici juris resigna-
 »tione, nec non accepto libero item consensu Venerabilium
 »pariter Fratrum Nostrorum, Antistitum Fogarasiensis,
 »Munkacsensis, et Magno-Varadinensis, quarum ex Dio-
 »cesium dismembratis paroeciis, novas Episcopales sedes
 »supramemoratas, Lugosiensem et Armenopolitanam, ere-
 »ximus, eandem Romenorum gentem, specialibus favori-
 »bus et gratiis prosequi volentes, omnesque et singulos,
 »quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommu-
 »nicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasti-
 »cis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine,
 »quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet
 »innodati existunt, ad effectum praesentium tantum conse-
 »quendum, harum serie, respective absolventes, et abso-
 »lutos fore censentes: ad majorem Omnipotentis Dei glo-
 »riam, Catholicae Religionis incrementum, nec non spiri-
 »tualem Romenorum consolationem, et commodum, Motu
 »proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra,
 »deque Apostolicae potestatis plenitudine, *Diocesim Foga-*
 »*rasiensem in Transylvania, quae jam inde a sua institutione.*
 »*Metropolitico juri Archiepiscopi Strigoniensis, ad haec usque*
 »*tempora obnoxia fuit, ab eodem jure et subjectione, ejusdem*
 »*Metropolitani Antistitis accedente consensu praemisso. Auctori-*
 »*tate Apostolica eximimus et dissolvimus, ita ut ipsius Dioecesis*

»*Antistites graeci ritus Catholici uniti, quaeque inibi existunt*
 »*Ecclesiae, omnes civitates, oppida, pagi, paroeciae, sive matricēs,*
 »*sive filiales, itemque coenobia, Monasteria, Instituta quaelibet*
 »*tum Ecclesiastica tum saecularia, et quorumvis ordinum Regu-*
 »*laria, omnes denique utriusque sexus personae, cujuscumque*
 »*gradus, ordinis, et conditionis, a pristina, cui antea suberant,*
 »*Metropolitae Strigoniensis jurisdictione, et quavis alia potestate,*
 »*et praerogativa jurisdictionali, in perpetuum pariter exemptae*
 »*sint et liberatae. Insuper Magno-Varadinensem Dioecesim, quae*
 »*Strigoniensis ejusdem Antistitis jurisdictione et potestate, de*
 »*Metropolitae ipsius libero consensu et resignatione, in perpetuum,*
 »*ea ratione distrahimus et avellimus, ut non modo Magno-Vara-*
 »*dinenses Antistites graeci ritus Catholici uniti, sed vero etiam*
 »*omnes illius Dioecesis Ecclesiae, Civitates, oppida, pagi, matricēs*
 »*et filiales Paroeciae, Monasteria, Conventus, cujuscumque generis*
 »*instituta, omnes et singulae, utriusque sexus, personae, cujus-*
 »*cumque gradus, ordinis et conditionis, denique caetera omnia,*
 »*quae inibi existunt, ab antiqua Archiepiscopi Strigoniensis juris-*
 »*dictione et superioritate, similiter in perpetuum distracta prorsus*
 »*et exempta censeantur. Quae cum ita sint, tum Magno-Vara-*
 »*dinensis et Fogarasiensis, tum duarum, per Nos erectarum, Lu-*
 »*gosiensis nimirum, et Armenopolitanae Dioecesium territoria,*
 »*una cum ibi existentibus Civitatibus, Oppidis, Pagis, aliisque*
 »*accessoriis, in Ecclesiasticam Provinciam Graeco-Catho-*
 »*piscopalem Metropolitanam sedem Fogarasiensem Romenorum*
 »*Graeci ritus catholici uniti, eadem Apostolica Auctoritate perpe-*
 »*tuo quoque erigimus et instituimus. Jam vero duabus illis*
 »*Episcopalibus sedibus, Lugosiensi et Armenopolitana, per*
 »*similes Nostras, hoc ipso die datas, Apostolicas Litteras,*
 »*fundatis et constitutis; ad territorium quod attinet Foga-*
 »*rasiensis Dioecesis, complecti illud statuimus in posterum*
 »*sequentes paroecias, tum matricēs, tum filiales, nimirum:*
 »*Quindecim ex districtu Archidiaconatus Blasiensis, cum*
 »*animabus decem mille sexaginta et una; Quadringenta sex*
 »*ex districtu Archidiaconatus A.-Carolinensis, cum Ani-*
 »*mabus Undecim mille Tercentum triginta tribus; Quadra-*
 »*gingta quatuor ex districtu Archidiaconatus Elekesiensis,*
 »*cum animabus Novem mille Tercentum Nonagintasex;*

»Viginti ex districtu Archidiaconatus M.-Bagoensis, cum
 »animabus sexmille Quingentis Novemdecim; Decem et
 »septem ex districtu Archidiaconatus M.-Ujvariensis, cum
 »animabus septem mille Tercentum; Vigintiquatuor ex di-
 »strictu Archidiaconatus N.-Enyediensis, cum animabus
 »Octomille Centum Trigintatribus; Quindecim ex districtu
 »Archidiaconatus Ormenis-Szekiensis, cum animabus Qua-
 »tuormille Noningentis Vigintiquinque; Septuaginta ex di-
 »strictu Archidiaconatus Cibiniensis, cum animabus Quinde-
 »cini mille Novemdecim; Quadragintaquinque ex districtu
 »Archidiaconatus Gyergyoensis, cum animabus Undecim
 »Mille Tercentum Quadragintanovem; Quadragintatres ex
 »Districtu Archidiaconatus Mediensis, cum animabus Novem-
 »mille Noningentis Viginti et una; Centumtriginta octo ex
 »districtu Archidiaconatus Udvarhelyiensis, cum animabus
 »Termillesexcentum Viginti octo; Triginta octo ex Districtu
 »Archidiaconatus Elisabethopolitani, cum animabus Quinque-
 »mille Tercentum Septuagintanovem; Vigintiquinque ex di-
 »strictu Archidiaconatus M.-Benyensis, cum animabus Duo-
 »decim mille Quingentis sexaginta sex; Centum et unam
 »ex Districtu Archidiaconatus Marusiensis, cum animabus
 »Tredecim mille et septem; Quindecim ex districtu Archi-
 »diaconatus Sovenyfalvensis, cum animabus Quatuormille
 »Quatuorcentum Tredecim; Sexdecim ex Districtu Archi-
 »diaconatus Radnotensis, cum animabus septem mille Ter-
 »centum et una; Tredecim ex Districtu Archidiaconatus
 »Vaidakactensis, cum animabus Quatuormille Biscentum
 »Quadraginta septem; Decem et septem ex Districtu Archi-
 »diaconatus Aranyasiensis, cum animabus septem mille Cen-
 »tum Octoginta; Sexdecim ex districtu Archidiaconatus
 »Booensis, cum animabus Novem mille Noningentis Nona-
 »gintaseptem; Quadraginta et octo ex districtu Archi-
 »diaconatus Gorgenyensis, cum animabus Duodecim mille
 »Octingentis Octoginta novem; Decem et octo ex districtu
 »Archidiaconatus Ludosiensis, cum animabus septem mille
 »Centum triginta quatuor; Quatuordecim ex districtu Archi-
 »diaconatus Pogacsensis, cum animabus Novem mille sex-
 »centum Quadraginta sex; Viginti et unam ex districtu
 »Archidiaconatus Potsagensis, cum animabus Quinque mille
 »Octingentis Quinquaginta octo; Vigintiquinque ex Districtu

»Archidiaconatus Thordensis, cum Animabus Novem mille
 »Quatuorcentum Viginti quinque; Quinquagintaquatuor ex
 »Districtu Archidiaconatus Claudiopolitani, cum animabus
 »Octodecim mille Quatuorcentum sexaginta septem; Viginti-
 »novem ex Districtu Archidiaconatus Faragoensis, cum
 »animabus Duodecim mille Tercentum undecim; Duodecim
 »ex Districtu Archidiaconatus Katonaensis, cum animabus
 »Termille septingentis Quadragintaquinque; Duodecim ex
 »districtu Archidiaconatus Kolosiensis, cum animabus
 »septem mille Tercentum septuaginta octo; Decem et se-
 »ptem ex districtu Archidiaconatus Maratlakensis, cum ani-
 »mabus sex mille sex centum Quadraginta quinque; Quin-
 »decim ex Districtu Archidiaconatus Meregyoensis, cum
 »animabus Octomille Tercentum; Decem et septem ex di-
 »strictu Archidiaconatus M.-Sz.-Martonensis, cum anima-
 »bus Undecim mille Centum sexaginta duabus; Decem et
 »octo ex districtu Archidiaconatus Palatkaensis, cum Ani-
 »mabus Decem mille Biscentum et quinque; Septuaginta
 »quatuor ex districtu Archidiaconatus Venetiensis, cum ani-
 »mabus Vigintiocto Mille Quingentis Triginta et una; Vi-
 »ginti et unam ex districtu Archidiaconatus Czihenthalien-
 »sis, cum animabus Quatuor mille septingentis et octo;
 »Octogintasex ex Districtu Archidiaconatus Háromszekiensis,
 »cum animabus Termille Centum Quinquagintasex; Decem
 »et novem ex districtu Archidiaconatus Dersiensis, cum
 »animabus Decem mille Quingentis Quadraginta novem;
 »Septem ex districtu Archidiaconatus Milvanensis, cum
 »animabus Termille Quingentis Vigintinovem; Decem ex
 »Districtu Archidiaconatus Varmezoensis, cum animabus
 »Bismille Noningentis Triginta et una; Quadragintatres ex
 »Districtu Archidiaconatus Bistraensis, cum animabus Decem
 »mille septingentis et una. Ita constituto Fogarasiensis
 »Ecclesiae territorio, praestat nunc, ut Civitatem Fogara-
 »siensem, Metropolitanum honore ac nomine decoremus. Et
 »quamvis Fogarasienses Antistites, jam inde a suae sedis
 »institutione, Episcopalem residentiam, ad Civitatem Balas-
 »falvensem, commodius, utiliusque transtulerint, ibique
 »Cathedralem erexerint, suumque constituerint Presbyte-
 »rium, quemadmodum in praesens existunt; nihilominus, ex
 »primaeva sedis fundatione, ab Apostolica sede peracta,

»tim compensari debet eisdem bonis ac redditibus, qui an-
 »te hac Episcopalis mensae Fogarasiensis dotem constitue-
 »bant, partim vero ab aerario publico suppleri, donec bona
 »stabilia, sicut a laudato FRANCISCO JOSEPHO Impe-
 »ratore et Regé sponsum est, in eum finem subrogentur.
 »Jam vero ut juxta excellentiorem Fogarasiensis Ecclesiae
 »gradum, ipsius Presbyterium seu Capitulum, conveniens
 »decus ac nomen acquirat, suppresso, planeque extincto,
 »prisco Cathedralis titulo, illud ipsum, in Presbyterium
 »Archiepiscopale, seu Metropolitanum, perpetuo pariter,
 »Apostolica Auctoritate praefata, eo modo institutum, ut
 »illud, una cum suis oneribus, et muniis consuetis, gaudere
 »ac perfrui valeat et debeat honoribus, privilegiis, insi-
 »gniis, caeterisque omnibus, quibus aliarum sedium Archie-
 »piscopalium graeci Ritus Catholici uniti Presbyteria vel
 »Capitula de jure, usu et consuetudine, frui posse digno-
 »scuntur, dummodo illa oneroso titulo, vel singulari conces-
 »sione, non fuerint acquisita. Idem praeterea Presbyterium
 »sive Capitulum, constare in posterum volumus, ex Archi-
 »presbytero, qui duorum millium florenorum summam ab
 »Imperiali Gubernio quotannis percipiet; ex Archidiacono,
 »qui percipiet florenos Mille et octingentos; ex Ecclesiarcha,
 »qui florenos Mille et sexcentum habebit; ex Scholiarcha,
 »cui penduntur floreni Mille et quingenti; ex Chartophi-
 »lace, cui solventur floreni Mille et quatuor centum. Insu-
 »per quinque alios adesse mandamus Praebendatos, Me-
 »tropolitanae Ecclesiae servitio addictos, quorum singuli
 »percipient quotannis florenos Mille et biscentum. Quae
 »quidem summa pendenda erit ab Imperiali Gubernio, do-
 »nec firmæ et stabili dotationi memorati Presbyterii seu
 »Capituli, consultum erit, per bona stabilia, quae juxta
 »datas sponsones, quam primum erunt in eum finem de-
 »signanda. Quamquam vero Aedes Episcopales in Civitate
 »Balasfalvensi, cum caeteris suis adnexis, Aedesque Pre-
 »sbyterio vel Capitulo addictae, satis aptae, ac decenter
 »ornatae, pro Nova Archiepiscopali Dignitate et Officio se-
 »rantur, Imperiale tamen Gubernium eisdem Aedibus pro
 »necessitate ac decore providere, pollicitum est, impensis
 »suis. Item pro Cathedralis Ecclesiae conservatione, ejus-
 »que sacrarii provisione, nec non pro Cancellariae Archi-

»episcopalis officio et expensis, congruens summa, ab eo-
 »dem Gubernio erit singulis annis taxative pendenda, do-
 »nec per bona stabilia assignanda, certi ac stabiles redi-
 »tus pro rei necessitate et gravitate attribuantur. Volumus
 »autem, quod fructus, novae istius, modo constitutae, Fo-
 »garasiensis et Albae-Julienensis Metropolitanæ Ecclesiae,
 »juxta redditus illius mensae attributos, taxari in florenis
 »Mille et Biscentum aureis de Camera, atque hujusmodi
 »taxam in Libros tam Camerae Nostrae Apostolicae, quam
 »Collegii Cardinalium, de more referri. Postremo, ut om-
 »nia et singula, Apostolicis hisce Nostris comprehensa
 »Litteris, plenum consequantur effectum, Dilectum filium
 »Nostrum Michaellem ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae
 »Presbyterum Cardinalem Viale Prela nuncupatum, No-
 »strum et Sanctae hujus sedis apud Viennensem Aulam Pro-
 »Nuntium Apostolicum, in exequutorem praesentium Lit-
 »terarum constituimus et deputamus, eique, ut pro hujus-
 »modi exequutionis effectu, quamcumque personam, in di-
 »gnitate Ecclesiastica constitutam, subdelegare, ac tam ipse,
 »quam persona subdeleganda, super quacumque quaestione,
 »oppositione, aut dubio, contra praemissa omnia, quovis
 »modo orituris, definitive etiam interpraetari, declarare, ac
 »pronunciare, omni remota appellatione, libere, et licite
 »possint et valeant, plenam et liberam, earundem praesen-
 »tium tenore, concedimus facultatem. Et insuper easdem
 »praesentes Litteras, perpetuo validas et efficaces existere,
 »suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,
 »nec non omnibus et singulis ad quos spectant, seu spe-
 »ctabunt, plenissime suffragari, ac nullo unquam tempore,
 »quavis potestate et qualibet causa, quantumvis juridica ac
 »privilegiata, vel speciali nota digna, ac de necessitate
 »juris vel facti omnino exprimenda, de subreptionis vel
 »obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae,
 »seu quovis alio substantiali et peculiarem mentionem requi-
 »rente defectu, seu ex eo, quod in praemissis, solemnitates et
 »quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta
 »non fuerint, aut ex quocumque capite, de jure, vel facto, aut
 »statuto, vel consuetudine aliqua resultante, notari, impugnari,
 »retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et
 »terminos juris reduci, vel adversus illas, restitutionis in

»integrum, aperiitionis oris, aut quodcumque gratiae, vel
 »justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, motu
 »etiam proprio, et ex potestatis plenitudine concesso, et
 »impetrato, vel emanato, quemquam uti, vel se juvare in
 »iudicio et extra illud posse, neque illas, sub quibusvis simi-
 »lium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensio-
 »nibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis
 »dispositionibus, per quascumque Litteras, et Constitutio-
 »nes Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae Regulas,
 »quibuslibet ex causis, et sub quibusvis expressionibus
 »et formis editas, et quandocumque, etiam in crastinum
 »Assumptionis successorum Nostrorum Romanorum Ponti-
 »ficum, ad summi Apostolatus Apicem, ac alias, etiamsi
 »de iisdem praesentibus, eorumque toto tenore, specialis
 »mentio fiat, in posterum edendas, factis et faciendis, com-
 »prehendi, sed semper et omnino, ab illis excipi, et quo-
 »ties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum
 »statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac
 »de novo etiam, sub quacumque posteriori data conces-
 »sas esse et fore, sicque et non alias, per quoscumque
 »Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis Auctoritate
 »fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,
 »ac praefatae sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam
 »de Latere Legatos, Vice Legatos, dictaeque sedis Nun-
 »cios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis, aliter judi-
 »candi et interpretaendi facultate, judicari et definiri de-
 »bere, et si secus super his, a quoquam, quavis Auctori-
 »tate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum
 »et inane decernimus. Non obstantibus Nostris et Cancel-
 »lariae Apostolicae regulis, de jure quaesito non tollendo,
 »ac quatenus opus sit de applicationibus ad partes com-
 »mittendis vocatis quorum interest, nec non Lateranensis
 »Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas,
 »nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque,
 »etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus et Uni-
 »versalibus Conciliis, editis, vel edendis, specialibus vel
 »Generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostoli-
 »cis, nec non Ecclesiarum, de quibus facta mentio est,
 »etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
 »firmitate alia, roboratis statutis, et consuetudinibus, pri-

»vilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis quibusvis
 »superioribus et personis in genere vel in specie, cum
 »quibusvis etiam Derogatoriis derogatoriis, aliisque effi-
 »caciorebus, efficacissimis, ac etiam insolitis clausulis, irri-
 »tantibusque et aliis Decretis, etiam motu, scientia et po-
 »testatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut
 »alias quomodolibet, in contrarium praemissorum forsan
 »concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omni-
 »bus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti deroga-
 »tione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, speci-
 »fica, expressa, et individua, non autem per Clausulas
 »Generales, idem importantes, mentio, aut quaevis alia
 »expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad
 »hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo
 »ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita
 »observata, inserti forent eisdem praesentibus, pro plene
 »et sufficienter expressis habentes, illis, alias in suo ro-
 »bore permansuris, latissime et amplissime, ac specialiter
 »et expresse, ad praemissorum omnium validissimum effe-
 »ctum, hac vice dumtaxat, Motu pari derogamus, caete-
 »risque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod
 »earumdem praesentium Litterarum transumptis, etiam
 »impressis, manu tamen alicujus Notarii publici, subscri-
 »ptis, et Sigillo Personae, in Dignitate Ecclesiastica con-
 »stitutatae, munitis, eadem prorsus fides in Iudicio et extra
 »illud, adhibeatur, quae iisdem originalibus Litteris adhi-
 »beretur, si forent exhibitae, vel ostensae Nulli ergo
 »omnino hominum liceat has paginas Nostrae absolutionis,
 »exemptionis, dissolutionis, disjunctionis, erectionis, consti-
 »tutionis, statuti, evehectionis, additionis, attributionis,
 »indulti, praecepti, adsignationis, institutionis, mandati,
 »decreti, derogationis et voluntatis, infringere, vel illis ausu
 »temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesump-
 »serit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum
 »Petri et Pauli Apostolorum, se noverit incursum. Da-
 »tum Romae, apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis
 »Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Ter-
 »tio, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno
 »Octavo. Loco ✠ Plumbi.« (Ex Archivo dioec. Nr.
 799—1854.)

Quae autem, occasione erectionis Provinciae nostrae Ecclesiasticae Albae-Julienensis et Fogarasiensis, a Dioecesi Graeci Ritus Cath. Magno-Varadinensi annuente Episcopo *Basilio Erdelyi*, dismembratae, neoerectaeque Dioecesi Lugosiensi fuerint Apostolica Auctoritate adjudicatae et incorporatae Parochiae, id Bulla Pontificia »Apostolicum Ministerium« PII IX. P. M, Bulla nempe erectionis Dioecesis *Lugosiensis*, manifestum efficiet. Tenor Bullae sequens est:

»PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. »Apostolicum Ministerium, humilitati »Nostrae, Divina Providentia concreditum, requirit, atque »exigit, ut, quae nimis late patent, per Catholicum Orbem »Dioeceses, arctioribus illas circumscribamur limitibus, novasque exinde erigamus, ut novis ea ratione constitutis »pastoribus, spirituali, Christi fidelium regimini, opportunius consultum sit. Id vero pro gente Romenorum graeci »ritus Catholici in Transylvania degentium, praestandum »Nobis videtur impensius, quo majori in discrimine iidem »versantur aeternae salutis, ob insidias, artesque schismaticorum, quibus undique septi sunt. Quapropter, ad eosdem, in unitate catholicae fidei et conjunctione cum »Romana Ecclesia confirmandos, in qua integra est »Christianae Religionis et perfecta soliditas; praeter »Episcopalem sedem Arnenopolitanam graeci ritus catholici uniti, quam per similes Nostras, hoc ipso die »datas Apostolicas Litteras instituimus: alteram ejusdem »ritus Episcopalem Ecclesiam erigere decrevimus, quae »ex paroeciis nonnullis, partim a Dioecesi Fogarasiensi, »partim vero a Dioecesi Magno-Varadinensi dismembrandis, constare debeat. Sedem vero Episcopalem, novae hujus Dioecesis, constituendam censuimus in Civitate Lugosiensi, quae satis ampla ac decora assurgit »in Banatu Temesiensi. Itaque precibus annuere volentes »Carissimi in Christo Filii Nostri FRANCISCI JOSEPHI »hoc nomine PRIMI, Austriae Imperatoris, Bohemiae »et Hungariae Regis Apostolici; qui desideriis inhaerens omnium Hungariae Regni Episcoporum, ac studio flagrans catholicae fidei, inter Populos suae ditioni subditos, firmandae ac provehendae, Episcopatus

»hujus erectionem a Nobis flagitavit, acceptoque utriusque Antistitis Fogarasiensis et Magno-Varadinensis, libero »consensu, nec non de consilio peculiaris Congregationis »Venerabilium Fratrum Nostrorum, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quibus hujusmodi negotium examinandum demandavimus, ad majorem Omnipotentis Dei »gloriam, ad Catholicae fidei propagationem et Spiritualem Christifidelium Romenorum utilitatem, Motu proprio, »certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolica Auctoritatis plenitudine, *civitatem Lugosiensem a »Dioecesi Magno-Varadinensi, cui subjecta adhuc fuit, Apostolica Auctoritate perpetuo sejungimus atque avellimus,* »eamque ad civitatis Episcopalis titulum, honoremque »attolimus et evehimus, ibique Episcopalem sedem et Dignitatem Lugosiensem, simili Auctoritate etiam perpetuo »erigimus et constituimus, cum omnibus et singulis jurebus, privilegiis, praerogativis, exemptionibus, non tamen »oneroso titulo acquisitis, quibus reliquae civitates sub »dominio laudati Hungariae et Bohemiae Regis Apostolici »pontificali sede graeci ritus catholici uniti decoratae »fruuntur, earumque Cives utuntur et gaudent. Nunc ad »statuendum novae hujus Lugosiensis Ecclesiae territorium, »praevio libero consensu, quem Venerabilis etiam Frater »Noster Alexander Sterka Szulutz, praesens Episcopus »Fogarasiensis de consilio Episcopalis sui Capituli seu »Presbyterii Nobis per suas Litteras praestitit, ab ejusdem Dioecesi sequentes matrices paroecias earumque »filiales separamus ac dismembramus, juxta Catalogum »ab eodem Alexandro Antistite transmissum, nimirum: ex »districtu Diaconali Hatzegensi, paroecias matrices cum »suis filialibus septuaginta et cum animabus viginti septem »mille biscentum quinquaginta tribus; ex Vallesill decem »et novem, cum animabus bismille octingentis quadraginta »duabus; ex districtu Archidiaconali Babolnensi sexdecim, »cum animabus mille septingentis octoginta quatuor; ex »districtu Archidiaconali Kudprensi sexdecim, cum animabus quatuor mille quatuor centum septuaginta quatuor; ex districtu Archidiaconali V.-Hunyadiensi viginti »sex, cum animabus bismille quingentis viginti et una; »demum ex districtu Archidiaconali Bistraensi quatuordecim

»cim, cum animabus tercentum triginta septem; quas qui-
 »dem omnes paroecias, tum matrices, tum filiales, cum
 »suis Civitatibus, oppidis, pagis, praediis, aliisque omni-
 »bus adnexis, a Dioecesi Fogarasiensi, illiusque Antistitis
 »spirituali jurisdictione subtractas, novae Dioecesi Lugo-
 »siensi in perpetuum quoque pari Apostolica Auctoritate
 »adsignamus, addicimus, ejusque futuri et pro tempore
 »existentis Episcopi spirituali potestati ac jurisdictioni,
 »plane subjicimus. — Item *praevia libera resignatione, quam*
 »*de consilio Presbyterii sui, per suas Litteras Nobis exhi-*
 »*buit Venerabilis etiam frater Noster BASILIUS ER-*
 »*DÉLYI, praesens Episcopus Magno-Varadinensis, sequen-*
 »*tes paroecias, tam matrices, quam filiales, juxta Cathalo-*
 »*gum ab eodem Antistite transmissum, Auctoritate Apostolica,*
 »*a Dioecesi Magno-Varadinensi disjungimus ac dismembra-*
 »*mus, nimirum:* paroeciam nuncupatam *Budincz*, cum qua-
 »tuor filialibus, complectentem animas tercentum viginti
 »quinque; *Csukics*, cum sua filiali continentem animas quin-
 »gentas viginti; *Egres*, cum quinque filialibus et animabus
 »sexcentum octoginta sex; *Folya, Gerlistye, Jezvin*, cum
 »duabus filialibus et animabus centum octoginta quinque;
 »*Illadia*, cum novem filialibus et animabus noningentis vi-
 »ginti; *Kernecsa, Kizdia*, cum undecim filialibus et ani-
 »mabus mille tercentum septuaginta sex; *Lugos*, cum sex-
 »decim filialibus et animabus mille tercentum quadraginta
 »octo; *Nagy-Kastely*, cum duabus filialibus et animabus
 »sexcentum undecim; *Nagy-Zorlencz, Reschicza* cum se-
 »ptem filialibus et animabus tercentum quadraginta duabus;
 »*Szekas*, cum duabus filialibus et animabus biscentum sexa-
 »ginta quatuor; *Szlatina*, cum quatuor filialibus et ani-
 »mabus quingentis triginta duabus; *Times-Fabrica*, cum
 »sexdecim filialibus et animabus quatuor centum nonaginta
 »septem; *Vetero-Aradinum* cum filialibus undecim et ani-
 »mabus bismille et quadraginta quinque; *Zabrany*, cum
 »tredecim filialibus et animabus quingentis viginti quinque;
 »denique *Zeribesd, Zsebely, Bogschan*, cum animabus mille
 »et septuaginta novem. *Quas omnes recensitas paroecias*
 »*matrices, cum suis filialibus, a Dioecesi Magno-Varadinensi*
 »*disjunctas, ac dismembratas, cum suis civitatibus, oppidis,*
 »*pagis, praediis, allodiis, aliisque omnibus adnexis, novae*

»huic *Lugosiensi Dioecesi, eadem Apostolica Auctoritate,*
 »*pariter in perpetuum, attribuimus, addicimus, ejusque pro*
 »*tempore existentis Episcopi spirituali jurisdictioni, omnino*
 »*subjicimus.* Insuper Ecclesias omnes, Monasteria, Conven-
 »tus, incolas et personas quascunque utriusque sexus et
 »cujusvis conditionis, gradus et ordinis, quae ritum grae-
 »cum catholicum et unitatem sequuntur, quaeque in supe-
 »rius memoratis paroeciis, sive matricibus sive filialibus
 »degunt, a jurisdictione Antistitum, tum Fogarasiensis, tum
 »Magno-Varadinensis, prorsus eximimus, easque sic exem-
 »ptas, novo Lugosiensi Episcopo, ejusque in perpetuum
 »successoribus, simili Apostolica Auctoritate, attribuimus,
 »eorumque spirituali potestati subjicimus ac subjectas de-
 »claramus. Jam vero Ecclesiam, quae magnis sumptibus in
 »Civitate Lugosiensi exstructa est, quaeque Spiritui Sancto
 »consecranda, nonnisi aliqua interna extructione adhuc in-
 »diget, cui Imperiale Gubernium supremam illico manum
 »imponere spondit, in Episcopalem Cathedralem Eccle-
 »siam, sub eodem titulo ritus graeci catholici uniti per-
 »petuo item Apostolica Auctoritate instituiamus, eadem
 »forma et modo, iisdemque insigniis et privilegiis, quibus
 »caeterae Cathedrales Ecclesiae ejusdemque ritus ab Apo-
 »stolica sede in Hungariae Regno alias erectae, potiuntur
 »et gaudent, cum Episcopali omnimoda jurisdictione in
 »Romanos omnes graeci ritus catholici uniti, aliosque, qui
 »eisdem ritus et unionem sequuntur, sive in praedicta Ci-
 »vitate Lugosiensi, sive in aliis locis terrisque existentes,
 »quas a Dioecibus Fogarasiensi et Magno-Varadinensi,
 »ut supra, dismembravimus, novaeque Dioecesi Lugosiensi
 »attribuimus. Pro dote autem Episcopalis mensae Lugosi-
 »ensis, ut novus Antistes, Legitimique illius successores, suam
 »tueri dignitatem possint, summam annuam adsignamus De-
 »cem Millium florenorum monetae argenteae Viennensis, ex pu-
 »blico Gubernii Imperialis aerario quotannis solvendam, quem-
 »admodum memoratus FRANCISCUS JOSEPHUS Imperator
 »ac Rex pollicitus est, quam primum tamen bona stabilia ab
 »Imperiali eodem gubernio juxta datam sponsonem adsi-
 »gnanda erunt, quorum reditus memoratam decem millium flo-
 »renorum summam exaequant, ab Episcopo, pro tempore
 »existenti, singulis annis libere percipiendam, ut ea ra-

»tione firmæ ac stabili, mensæ Episcopalis dotationi,
 »provideatur. Cum vero nondum extent Cathedrali Eccle-
 »siae Aedes attiguae, pro decenti et congrua habitatione
 »Lugosiensis Antistitis, nec non pro ejus Presbyterio seu
 »Capitulo, idcirco Imperiale Gubernium, huic incommodo
 »occurret impensa sua, prout sponsum ab illo est, donec
 »novis, vel erectis, vel statutis Aedibus, easdem memora-
 »tum Gubernium, pro residentia Episcopi et Presbyterii,
 »libere adsignet, quas Nos jam nunc, dicto Antistiti ejus-
 »demque successoribus et Presbyterio, in perpetuum
 »addicimus et appropriamus. Porro quo facilius et prom-
 »ptius Lugosiensis Antistes Episcopalia munia exequi
 »possit, in superius adsignata Cathedrali Ecclesia, perpe-
 »tuo similiter instituimus Presbyterium seu Capitulum, quod
 »omnibus juribus, honoribus, privilegiis, prerogativis,
 »exemptionibus fruatur, quibus caetera Episcopalia se-
 »dium graeci ritus Catholici uniti Presbyteria potiuntur,
 »dummodo oneroso titulo, vel particulari aliqua concessione
 »non fuerint comparata. Hujusmodi autem Presbyterium
 »constabit ex Archipresbytero, cui ab Imperiali Gubernio
 »annuatim pendentur floreni Viennenses Mille et Octin-
 »genti; ex Archidiacono, cui solventur quotannis floreni
 »Mille et Sexcentum; ex Ecclesiarcha, qui percipiet quotannis
 »florenos mille et quatuorcentum; ex Scholiarcha, qui percipiet
 »singulis annis florenos mille et tercentos; ex Chartophilace,
 »cui quotannis pendentur floreni mille et biscentum; de-
 »nique ex Praebendato, quem Episcopus Presbyterii servi-
 »tio peculiariter addicet, quique propterea ab Imperiali gu-
 »bernio florenos mille quotannis percipiet. Insuper pro
 »expensis Cancellariae Episcopalis, nec non pro servandis
 »Aedibus Episcopalibus et Presbyterii, pro sacrario Cathe-
 »dralis Ecclesiae, ejusdemque Ecclesiae cultu et fabricae
 »tutione continuo, prout promisit, impensis suis occurret
 »Imperiale Gubernium, donec stabilibus bonis adsignatis,
 »certi ac stabiles redditus, pro rei gravitate et necessitate
 »attribuantur. Jam vero ita per Nos erectam et constitu-
 »tutam Episcopalem Lugosiensem Ecclesiam, ab Archie-
 »piscopi Strigoniensis Metropolitico jure, de ipsius etiam
 »Antistitis consensu libere praestito, dicta Auctoritate
 »exemptam declaramus, eamque Ecclesiae Fogarasiensis

»episcopalis officio et expensis, congruens summa, ab eo-
 »dem Gubernio erit singulis annis taxative pendenda, do-
 »nec per bona stabilia assignanda, certi ac stabiles redi-
 »tus pro rei necessitate et gravitate attribuantur. Volumus
 »autem, quod fructus, novae istius, modo constitutae, Fo-
 »garasiensis et Albae-Julienae Metropolitanæ Ecclesiae,
 »juxta redditus illius mensae attributos, taxari in florenis
 »Mille et Biscentum aureis de Camera, atque hujusmodi
 »taxam in Libros tam Camerae Nostrae Apostolicae, quam
 »Collegii Cardinalium, de more referri. Postremo, ut om-
 »nia et singula, Apostolicis hisce Nostris comprehensa
 »Litteris, plenum consequantur effectum, Dillectum filium
 »Nostrum Michaellem ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae
 »Presbyterum Cardinalem Viale Prela nuncupatum, No-
 »strum et Sanctae hujus sedis apud Viennensem Aulam Pro-
 »nuntium Apostolicum, in exequutores praesentium Lit-
 »terarum constituimus et deputamus, eique, ut pro hujus-
 »modi exequutionis effectu, quamcumque personam, in di-
 »gnitate Ecclesiastica constitutam, subdelegare, ac tam ipse,
 »quam persona subdeleganda, super quacumque quaestione,
 »oppositione, aut dubio, contra praemissa omnia, quovis
 »modo orituris, definitive etiam interpretari, declarare, ac
 »pronunciare, omni remota appellatione, libere, et licite
 »possint et valeant, plenam et liberam, earundem praesen-
 »tium tenore, concedimus facultatem. Et insuper easdem
 »praesentes Litteras, perpetuo validas et efficaces existere,
 »suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,
 »nec non omnibus et singulis ad quos spectant, seu spe-
 »ctabunt, plenissime suffragari, ac nullo unquam tempore,
 »quavis potestate et qualibet causa, quantumvis juridica ac
 »privilegiata, vel speciali nota digna, ac de necessitate
 »juris vel facti omnino exprimenda, de subreptionis vel
 »obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae,
 »seu quovis alio substantiali et peculiarem mentionem requi-
 »rente defectu, seu ex eo, quod in praemissis, solemnitates et
 »quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta
 »non fuerint, aut ex quocumque capite, de jure, vel facto, aut
 »statuto, vel consuetudine aliqua resultante, notari, impugnari,
 »retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et
 »terminos juris reduci, vel adversus illas, restitutionis in

»integrum, aperiitionis oris, aut quodcumque gratiae, vel
 »justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, motu
 »etiam proprio, et ex potestatis plenitudine concessio, et
 »impetrato, vel emanato, quemquam uti, vel se juvare in
 »iudicio et extra illud posse, neque illas, sub quibusvis simi-
 »lium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensio-
 »nibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis
 »dispositionibus, per quascumque Litteras, et Constitutio-
 »nes Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae Regulas,
 »quibuslibet ex causis, et sub quibusvis expressionibus
 »et formis editas, et quandocumque, etiam in crastinum
 »Assumptionis successorum Nostrorum Romanorum Ponti-
 »ficum, ad summi Apostolatus Apicem, ac alias, etiamsi
 »de iisdem praesentibus, eorumque toto tenore, specialis
 »mentio fiat, in posterum edendas, factis et faciendis, com-
 »prehendi, sed semper et omnino, ab illis excipi, et quo-
 »ties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum
 »statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac
 »de novo etiam, sub quacumque posteriori data conces-
 »sas esse et fore, sicque et non alias, per quoscumque
 »Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis Auctoritate
 »fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,
 »ac praefatae sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam
 »de Latere Legatos, Vice Legatos, dictaeque sedis Nun-
 »cios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis, aliter judi-
 »candi et interpraetandi facultate, judicari et definiri de-
 »bere, et si secus super his, a quoquam, quavis Auctori-
 »tate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum
 »et inane decernimus. Non obstantibus Nostris et Cancel-
 »lariae Apostolicae regulis, de jure quaesito non tollendo,
 »ac quatenus opus sit de applicationibus ad partes com-
 »mittendis vocatis quorum interest, nec non Lateranensis
 »Concilio novissime celebrati, dismembrationes perpetuas,
 »nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque,
 »etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus et Uni-
 »versalibus Conciliis, editis, vel edendis, specialibus vel
 »Generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostoli-
 »cis, nec non Ecclesiarum, de quibus facta mentio est,
 »etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis
 »firmitate alia, roboratis statutis, et consuetudinibus, pri-

»vilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis quibusvis
 »superioribus et personis in genere vel in specie, cum
 »quibusvis etiam Derogatoriis derogatoriis, aliisque effi-
 »caciorebus, efficacissimis, ac etiam insolitis clausulis, irri-
 »tantibusque et aliis Decretis, etiam motu, scientia et po-
 »testatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut
 »alias quomodolibet, in contrarium praemissorum forsitan
 »concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omni-
 »bus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti deroga-
 »tione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, speci-
 »fica, expressa, et individua, non autem per Clausulas
 »Generales, idem importantes, mentio, aut quaevis alia
 »expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad
 »hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo
 »ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita
 »observata, inserti forent eisdem praesentibus, pro plene
 »et sufficienter expressis habentes, illis, alias in suo ro-
 »bore permansuris, latissime et amplissime, ac specialiter
 »et expresse, ad praemissorum omnium validissimum effe-
 »ctum, hac vice dumtaxat, Motu pari derogamus, caete-
 »risque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod
 »earundem praesentium Litterarum transumptis, etiam
 »impressis, manu tamen alicujus Notarii publici, subscri-
 »ptis, et Sigillo Personae, in Dignitate Ecclesiastica con-
 »stitutae, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra
 »illud, adhibeatur, quae iisdem originalibus Litteris adhi-
 »beretur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo
 »omnino hominum liceat has paginas Nostrae absolutionis,
 »exemptionis, dissolutionis, disjunctionis, erectionis, consti-
 »tutionis, statuti, evehectionis, additionis, attributionis,
 »indulti, praecepti, adsignationis, institutionis, mandati,
 »decreti, derogationis et voluntatis, infringere, vel illis ausu
 »temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesum-
 »pserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum
 »Petri et Pauli Apostolorum, se noverit incursum. Da-
 »tum Romae, apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis
 »Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Ter-
 »tio, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno
 »Octavo. Loco † Plumbi. (Ex Archivo dioec. Nr.
 799—1854.)

Quae autem, occasione erectionis Provinciae nostrae Ecclesiasticae Albae-Julienensis et Fogarasiensis, a Dioecesi Graeci Ritus Cath. Magno-Varadinensi annuente Episcopo *Basilio Erdelyi*, dismembratae, neoerectaeque Dioecesi Lugosiensi fuerint Apostolica Auctoritate adjudicatae et incorporatae Parochiae, id Bulla Pontificia »Apostolicum Ministerium« PII IX. P. M, Bulla nempe erectionis Dioecesis *Lugosiensis*, manifestum efficiet. Tenor Bullae sequens est:

»PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Apostolicum Ministerium, humilitati »Nostrae, Divina Providentia concreditum, requirit, atque »exigit, ut, quae nimis late patent, per Catholicum Orbem »Dioeceses, arctioribus illas circumscribamur limitibus, novasque exinde erigamus, ut novis ea ratione constitutis »pastoribus, spirituali, Christi fidelium regimini, opportunius consultum sit. Id vero pro gente Romanorum graeci »ritus Catholici in Transylvania degentium, praestandum »Nobis videtur impensius, quo majori in discrimine iidem »versantur aeternae salutis; ob insidias, artesque schismaticorum, quibus undique septi sunt. Quapropter, ad eosdem, in unitate catholicae fidei et conjunctione cum »Romana Ecclesia confirmandos, in qua integra est »Christianae Religionis et perfecta soliditas; praeter »Episcopalem sedem Armenopolitanam graeci ritus catholici uniti, quam per similes Nostras, hoc ipso die »datas Apostolicas Litteras instituimus: alteram ejusdem »ritus Episcopalem Ecclesiam erigere decrevimus, quae »ex paroeciis nonnullis, partim a Dioecesi Fogarasiensi, »partim vero a Dioecesi Magno-Varadinensi dismembrandis, constare debeat. Sedem vero Episcopalem, novae hujus Dioecesis, constituendam censuimus in Civitate Lugosiensi, quae satis ampla ac decora assurgit »in Banatu Temesiensi. Itaque precibus annuere volentes »Carissimi in Christo Filii Nostri FRANCISCI JOSEPHI »et Hungariae Regis Apostolici; qui desideriis inhaerens omnium Hungariae Regni Episcoporum, ac studio flagrans catholicae fidei, inter Populos suae ditioni subditos, firmandae ac provehendae, Episcopatus

»hujus erectionem a Nobis flagitavit, acceptoque utriusque Antistitis Fogarasiensis et Magno-Varadinensis, libero »consensu, nec non de consilio peculiaris Congregationis »Venerabilium Fratrum Nostrorum, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quibus hujusmodi negotium examinandum demandavimus; ad majorem Omnipotentis Dei »gloriam, ad Catholicae fidei propagationem et Spiritualem Christifidelium Romanorum utilitatem, Motu proprio, »certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Auctoritatis plenitudine, *civitatem Lugosiensem a »Dioecesi Magno-Varadinensi, cui subjecta adhuc fuit, Apostolica Auctoritate perpetuo sejungimus atque avellimus,* »eamque ad civitatis Episcopalis titulum, honoremque attolimus et evehimus, ibique Episcopalem sedem et Dignitatem Lugosiensem, simili Auctoritate etiam perpetuo »erigimus et constituimus, cum omnibus et singulis jurebus, privilegiis, praerogativis, exemptionibus, non tamen »oneroso titulo acquisitis, quibus reliquae civitates sub »dominio laudati Hungariae et Bohemiae Regis Apostolici »pontificali sede graeci ritus catholici uniti decoratae »fruantur, earumque Cives utuntur et gaudent. Nunc ad »statuendum novae hujus Lugosiensis Ecclesiae territorium, »praevio libero consensu, quem Venerabilis etiam Frater »Noster Alexander Sterka Szulutz, praesens Episcopus »Fogarasiensis de consilio Episcopalis sui Capituli seu »Presbyterii Nobis per suas Litteras praestitit, ab ejusdem Dioecesi sequentes matrices paroecias earumque »filiales separamus ac dismembramus, juxta Catalogum »ab eodem Alexandro Antistite transmissum, nimirum: ex »districtu Diaconali Hatzegensi, paroecias matrices cum »suis filialibus septuaginta et cum animabus viginti septem »mille biscentum quinquaginta tribus; ex Vallesill decem »et novem, cum animabus bismille octingentis quadraginta »duabus; ex districtu Archidiaconali Babolnensi sexdecim, »cum animabus mille septingentis octoginta quatuor; ex »districtu Archidiaconali Kudprensi sexdecim, cum animabus quatuor mille quatuor centum septuaginta quatuor; ex districtu Archidiaconali V.-Hunyadiensi viginti »sex, cum animabus bismille quingentis viginti et una; »demum ex districtu Archidiaconali Bistraensi quatuorde-

»rim, cum animabus tercentum triginta septem; quas qui-
 »dem omnes paroecias, tum matrices, tum filiales, cum
 »suis Civitatibus, oppidis, pagis, praediis, aliisque omni-
 »bus adnexis, a Dioecesi Fogarasiensi, illiusque Antistitis
 »spirituali jurisdictione subtractas, novae Dioecesi Lugo-
 »siensi in perpetuum quoque pari Apostolica Auctoritate
 »adsignamus, addicimus, ejusque futuri et pro tempore
 »existentis Episcopi spirituali potestati ac jurisdictioni,
 »plane subjecimus. — Item *praevia libera resignatione, quam*
 »*de consilio Presbyterii sui, per suas Litteras Nobis exhi-*
 »*buit Venerabilis etiam frater Noster BASILIIUS FR-*
 »*DÉLYI, praesens Episcopus Magno-Varadinensis, sequen-*
 »*tes paroecias, tam matrices, quam filiales, juxta Cathalo-*
 »*gum ab eodem Antistite transmissum, Auctoritate Apostolica,*
 »*a Dioecesi Magno-Varadinensi disjungimus ac dismembra-*
 »*mus, nimirum:* paroeciam nuncupatam *Budinca*, cum qua-
 »tuor filialibus, complectentem animas tercentum viginti
 »quinque; *Csukics*, cum sua filiali continentem animas quin-
 »gentas viginti; *Egres*, cum quinque filialibus et animabus
 »sexcentum octoginta sex; *Folya, Gerlistye, Jezvin*, cum
 »duabus filialibus et animabus centum octoginta quinque;
 »*Illadia*, cum novem filialibus et animabus noningentis vi-
 »ginti; *Kernecca, Kizdia*, cum undecim filialibus et ani-
 »mabus mille tercentum septuaginta sex; *Lugos*, cum sex-
 »decim filialibus et animabus mille tercentum quadraginta
 »octo; *Nagy-Kastely*, cum duabus filialibus et animabus
 »sexcentum undecim; *Nagy-Zorlencz, Reschicza* cum se-
 »ptem filialibus et animabus tercentum quadraginta duabus;
 »*Szekas*, cum duabus filialibus et animabus biscentum sexa-
 »ginta quatuor; *Szlatina*, cum quatuor filialibus et ani-
 »mabus quingentis triginta duabus; *Temes-Fabrica*, cum
 »sexdecim filialibus et animabus quatuor centum nonaginta
 »septem; *Vetero-Aradinum* cum filialibus undecim et ani-
 »mabus bismille et quadraginta quinque; *Zabrany*, cum
 »tredecim filialibus et animabus quingentis viginti quinque;
 »denique *Zoribesd, Zsebely, Bogschan*, cum animabus mille
 »et septuaginta novem. *Quas omnes recensitas paroecias*
 »*matrices, cum suis filialibus, a Dioecesi Magno-Varadinensi*
 »*disjunctas, ac dismembratas, cum suis civitatibus, oppidis,*
 »*pagis, praediis, allodiis, aliisque omnibus adnexis, novae*

»*huic Lugosiensi Dioecesi, eadem Apostolica Auctoritate,*
 »*pariter in perpetuum, attribuimus, addicimus, ejusque pro*
 »*tempore existentis Episcopi spirituali jurisdictioni, omnino*
 »*subjecimus.* Insuper Ecclesias omnes, Monasteria, Conven-
 »tus, incolas et personas quascunque utriusque sexus et
 »cujusvis conditionis, gradus et ordinis, quae ritum grae-
 »cum catholicum et unitatem sequuntur, quaeque in supe-
 »rius memoratis paroeciis, sive matricibus sive filialibus
 »degunt, a jurisdictione Antistitum, tum Fogarasiensis, tum
 »Magno-Varadinensis, prorsus eximimus, easque sic exem-
 »ptas, novo Lugosiensi Episcopo, ejusque in perpetuum
 »successoribus, simili Apostolica Auctoritate, attribuimus,
 »eorumque spirituali potestati subjecimus ac subjectas de-
 »claramus. Jam vero Ecclesiam, quae magnis sumptibus in
 »Civitate Lugosiensi exstructa est, quaeque Spiritui Sancto
 »consecranda, nonnisi aliqua interna extructione adhuc in-
 »diget, cui Imperiale Gubernium supremam illico manum
 »imponere spondit, in Episcopalem Cathedrallem Eccle-
 »siam, sub eodem titulo ritus graeci catholici uniti per-
 »petuo item Apostolica Auctoritate instituimus, eadem
 »forma et modo, iisdemque insigniis et privilegiis, quibus
 »caeterae Cathedrales Ecclesiae ejusdemque ritus ab Apo-
 »stolica sede in Hungariae Regno alias erectae, potiuntur
 »et gaudent, cum Episcopali omnimoda jurisdictione in
 »Romanos omnes graeci ritus catholici uniti, aliosque, qui
 »eosdem ritus et unionem sequuntur, sive in praedicta Ci-
 »vitate Lugosiensi, sive in aliis locis terrisque existentes,
 »quas a Dioecibus Fogarasiensi et Magno-Varadinensi,
 »ut supra, dismembravimus, novaeque Dioecesi Lugosiensi
 »attribuimus. Pro dote autem Episcopalis mensae Lugosi-
 »ensis, ut novus Antistes, Legitimique illius successores, suam
 »tueri dignitatem possint, summam annuam adsignamus De-
 »cem Millium florenorum monetae argenteae Viennensis, ex pu-
 »blico Gubernii Imperialis aerario quotannis solvendam, quem-
 »admodum memoratus FRANCISCUS JOSEPHUS Imperator
 »ac Rex pollicitus est, quam primum tamen bona stabilia ab
 »Imperiali eodem gubernio juxta datam sponsonem adsi-
 »gnanda erunt, quorum reditus memoratam decem millium flo-
 »renorum summam exaequent, ab Episcopo, pro tempore
 »existenti, singulis annis libere percipiendam, ut ea ra-

»tione firmæ ac stabili, mensæ Episcopalis dotationi,
 »provideatur. Cum vero nondum extent Cathedrali Eccle-
 »siae Aedes attiguae, pro decenti et congrua habitatione
 »Lugosiensis Antistitis, nec non pro ejus Presbyterio seu
 »Capitulo, idcirco Imperiale Gubernium, huic incommodo
 »occurreret impensa sua, prout sponsum ab illo est, donec
 »novis, vel erectis, vel statutis Aedibus, easdem memora-
 »tum Gubernium, pro residentia Episcopi et Presbyterii,
 »libere adsignet, quas Nos jam nunc, dicto Antistiti ejus-
 »demque successoribus et Presbyterio, in perpetuum
 »addicimus et appropriamus. Porro quo facilius et prom-
 »ptius Lugosiensis Antistes Episcopalia munia exequi
 »possit, in superius adsignata Cathedrali Ecclesia, perpe-
 »tuo similiter instituimus Presbyterium seu Capitulum, quod
 »omnibus juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis,
 »exemptionibus fruatur, quibus caetera Episcopalia se-
 »dium graeci ritus Catholici uniti Presbyteria potiuntur,
 »dummodo oneroso titulo, vel particulari aliqua concessione
 »non fuerint comparata. Hujusmodi autem Presbyterium
 »constabit ex Archipresbytero, cui ab Imperiali Gubernio
 »annuatim penduntur floreni Viennenses Mille et Octin-
 »genti; ex Archidiacono, cui solventur quotannis floreni
 »Mille et Sexcentum; ex Ecclesiarcha, qui percipiet quotannis
 »florenos mille et quatuorcentum; ex Scholiarcha, qui percipiet
 »singulis annis florenos mille et tercentos; ex Chartophilace,
 »cui quotannis penduntur floreni mille et biscentum; de-
 »nique ex Praebendato, quem Episcopus Presbyterii servi-
 »tio peculiariter addicet, quique propterea ab Imperiali gu-
 »bernio florenos mille quotannis percipiet. Insuper pro
 »expensis Cancellariae Episcopalis, nec non pro servandis
 »Aedibus Episcopalibus et Presbyterii, pro sacrario Cathe-
 »dralis Ecclesiae, ejusdemque Ecclesiae cultu et fabricae
 »tutione continuo, prout promisit, impensis suis occurret
 »Imperiale Gubernium, donec stabilibus bonis adsignatis,
 »certi ac stabiles redditus, pro rei gravitate et necessitate
 »attribuantur. Jam vero ita per Nos erectam et constitu-
 »tam Episcopalem Lugosiensem Ecclesiam, ab Archie-
 »piscopi Strigoniensis Metropolitico jure, de ipsius etiam
 »Antistitis consensu libere praestito, dicta Auctoritate
 »exemptam declaramus, eamque Ecclesiae Fogarasiensis

»et Albae-Julienensis, per similes Nostras, hoc ipso die da-
 »tas Apostolicas Litteras, ad Archiepiscopalis sedis hono-
 »rem atque Auctoritatem evectae, suffraganeam esse sta-
 »tuimus, et mandamus, cum omnibus honoribus, privilegiis,
 »praerogativis, non tamen oneroso titulo acquisitis, quibus
 »aliae similes, graeci ritus catholici uniti suffraganeae Ec-
 »clesiae in Regno Hungarico constitutae, fruuntur et gau-
 »dent. Praeterea Episcopis Lugosiensibus dicti ritus, pro
 »tempore existentibus praecipimus, ut ipsi, singulis qua-
 »trienniis, ad Congregationem Venerabilium pariter fratrum
 »Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, pro-
 »pagandae fidei praepositam, Suae Dioecesis absolutam
 »relationem, suaeque Ecclesiae statum mittere teneantur.
 »Item jubemus, ut non solum primo instituendus Lugosiensis
 »Antistes, verum etiam alii omnes, ad dictum Episcopa-
 »tum promovendi, ante suam institutionem, fidei professi-
 »onem, a fel. mem. Urbano Papa Octavo Praedecessore
 »Nostro, pro Orientalibus praescriptam, coram personis sui
 »Presbyterii, in dignitate constitutis, emittere, eamque
 »scriptis traditam, propriaeque manus, earumque persona-
 »rum subscriptione et sigillo munitam, ad Nostrum et san-
 »ctae hujus sedis, pro tempore, Viennae existentem, Nun-
 »tium Apostolicum, transmittersse omnino debeant, quam
 »Apostolicus idem Nuntius, ad dictam Congregationem,
 »Christiano nomini propagando praepositam, transferri cu-
 »rabit; statuimus denique, ut fructus novae istius Cathedra-
 »lis Ecclesiae, juxta redditus Episcopalis illius mensae, ut
 »supra designatos, in florenis quingentis quadraginta octo
 »aureis de Camera taxentur, atque hujusmodi taxa in li-
 »bris tum Camerae Nostrae Apostolicae, tum Collegii
 »Cardinalium describatur. Postremo autem volentes, ut
 »omnia et singula, quae Apostolicis hisce Nostris Litteris
 »continentur, plenum consequantur effectum, Dilectum
 »filium Nostrum Michaellem ejusdem sanctae Romanae
 »Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Viale Prelà, nuncupa-
 »tum Apostolicum Viennae Pro-Nuntium, in exequutorem
 »praesentium Litterarum, Auctoritate Apostolica constitui-
 »mus, et deputamus, eique, ut pro hujusmodi exequutio-
 »nis effectu, quamcunque personam, in dignitate tamen
 »Ecclesiastica constitutam subdelegare ac tam ipse, quam

» persona ab eo subdeleganda, super quacunq[ue] quaestione,
 » oppositione et dubio, adversus praemissa exposita et
 » statuta, quomodolibet orituris, definitive etiam interpretari,
 » declarare et pronunciare, omni appellatione remota, libere
 » et licite possint et valeant, facultatem concedimus et im-
 » pertimur. Et insuper easdem praesentes Litteras semper
 » et perpetuo validas et efficaces existere suosque plena-
 » rios et integros effectus sortiri et obtinere, nec non omni-
 » bus et singulis, ad quos spectant, seu spectabunt, ple-
 » nissime suffragari, ac nullo unquam tempore, quovis prae-
 » textu et qualibet causa, quantumvis juridica ac privile-
 » giata, vel speciali nota digna, ac de necessitate juris
 » omnino exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis aut
 » nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, seu quovis alio
 » substantiali, et peculiarem mentionem requirente defectu,
 » sive ex eo, quod in praemissis, solemnitates et quaevis
 » alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non
 » fuerint, aut ex quocunque alio capite, de jure, vel facto,
 » aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, notari,
 » impugnari, retractari, in jus vel controversiam vocari,
 » aut ad viam et terminos juris reduci, vel adversus illas
 » restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aut quodcunque
 » gratiae vel justitiae remedium impetrari, seu quomodoli-
 » bet, motu etiam proprio, et ex potestatis plenitudine con-
 » cesso et impetrato, vel emanato, quempiam uti, vel se
 » juvare in iudicio et extra illud posse, neque illas, sub
 » quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationi-
 » bus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque
 » contrariis dispositionibus, per quascunque Litteras et
 » Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae
 » Regulas, quibuslibet ex causis et sub quibusvis expres-
 » sionibus et formis editas, et quandocunque, etiam in cra-
 » stinum Assumptionis successorum Nostrorum Romanorum
 » Pontificum ad summi Apostolatus apicem, et alias etiamsi
 » de iisdem praesentibus eorumque toto tenore specialis
 » mentio fiat in posterum edendas factis et faciendis com-
 » prehendi, sed semper et omnino ab illis excipi et quo-
 » ties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum
 » statutum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac
 » de novo etiam sub quacunq[ue] posteriori data concessas

» esse et fore, sicque, et non alias, per quoscunque Judi-
 » ces Ordinarios, vel delegatos, quavis Auctoritate fungen-
 » tes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prae-
 » fatae sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de-
 » latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuntios,
 » sublata eis et eorum cuilibet, quavis, aliter iudicandi et
 » interpretandi facultate, iudicari ac definiti debere, et si
 » secus, super his, a quoquam, quavis Auctoritate, scienter
 » vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane de-
 » cernimus. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apo-
 » stolicae Regulis de jure quaesito non tollendo, ac qua-
 » tenus opus sit, de applicationibus ad partes committendis
 » vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis Concilii
 » novissime celebrati, dismembrationes perpetuas, nisi in
 » casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam
 » in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Constitutio-
 » nibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum,
 » de quibus facta mentio est, juramento, confirmatione
 » Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis et
 » consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris
 » Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere
 » vel in specie, cum quibusvis, etiam derogationibus de-
 » rogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis, ac etiam
 » insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis Decretis, etiam
 » motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam
 » consistorialiter aut alias quomodolibet in contrarium prae-
 » missorum concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis,
 » quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti
 » derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis,
 » specifica, expressa et individua, non autem per clausulas
 » generales, idem importantes, mentio, aut quaevis alia
 » expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad
 » hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo
 » ad verbum, nil penitus omissis, et forma in illis tradita
 » observata, inserti forent, eisdem, praesentibus, pro plene
 » et sufficienter expressis habentes, illis, alias in suo ro-
 » bore permansuris, latissime et amplissime, ac specialiter
 » et expresse, ad praemissorum omnium validissimum effe-
 » ctum, hac vice dumtaxat, motu pari derogamus, caete-
 » risque contrariis quibuscunque. Volumus etiam, quod

» earundem praesentium Litterarum transumptis, etiam im-
 » pressis, manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis
 » et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae
 » munitis, eadem prorsus fides in judiciis et extra illud adhibea-
 » tur, quae eisdem originalibus Litteris adhiberetur, si forent
 » exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat, has
 » paginas Nostrae sejunctionis, erectionis, separationis, dis-
 » membrationis, exemptionis, subjectionis, institutionis, assigna-
 » tionis, appropriationis, declarationis, praecepti, jussi, statuti,
 » mandati, concessionis, decreti, derogationis et Voluntatis in-
 » fringere, vel illis ausu temerario, contraire, si quis autem hoc
 » attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac
 » Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incur-
 » surum. Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incar-
 » nationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinqua-
 » gesimo Tertio, Sexto Kalendas Decembris, Pontificatus
 » Nostri Anno Octavo. Loco ✠ Plumbi. (Ex Archivo dioec.
 » Nr. 1341. ex 1856.)

Sed manca haec esset documentorum collectio, neo-
 erectam Provinciam Fogarasiensem et Alba-Juliensem re-
 spiciens, nisi his immediate subjicerentur ejusdem Summi
 Pontificis PII IX. Litterae Encyclicae die 15 Augusti 1859
 ad Archiepiscopum Fogarasiensem et Albo-Juliensem, et
 Episcopos ejus suffraganeos datae, quas Acta PII IX. (P.
 I. Vol. III. pag. 98.) Venerabilibus Fratribus ALEXANDRO*
 Archiepiscopo Fogarasiensi et Albo-Julieni, et Episcopis
 ejus suffraganeis, inscriptam exhibent quidem, sed ad cal-
 cem earundem adnotatur hoc : » N. B. Haec eadem Epistola
 scripta fuit ad BASILIUM** Episcopum Magno-Varadinen-
 sem, ad ALEXANDRUM*** Episcopum Lugosiensem, et
 ad JOANNEM**** Episcopum Armenopolitanum, graeco-
 catholicos.«

Tenor itaque harum Litterarum Apostolicarum, inde
 mutuatarum, sequens est :

» PIUS PP. IX. Venerabiles Fratres, Salutem et Apo-
 » stolicam Benedictionem. Verbis Exprimere vix possumus,

* Alexander Sterca Siulutiu († 7. Septembr. 1867.)

** Basilius L. B. Erdélyi († 27. Mart. 1862.)

*** Alexander Dobra († 13. Apr. 1870.)

**** Joannes Alexi († 29. Jun. 1863.)

» Venerabiles Fratres, quantae consolationi Nobis fuerint et
 » vestrae obsequentissimae Litterae die 15. septembris su-
 » periore anno datae, et ea quae de Vobis ad Nos detu-
 » lit Venerabilis Frater Antonius Archiepiscopus Tarsensis
 » Noster et hujus Apostolicae Sedis apud Caesaream et
 » Apostolicam Majestatem Nuntius, a Nobis eodem supe-
 » riore anno ad Vos missus. Namque ex iis omnibus ma-
 » gis magisque novimus qua singulari fide, amore, et ob-
 » servantia firmiter constanterque Nobis, et huic Petri Ca-
 » thedrae adhaerere gloriemini, quae, Domino disponente,
 » super omnes Ecclesias, ordinariae potestatis obtinet prin-
 » cipatum, utpote universorum Christifidelium mater et ma-
 » gistra, et in qua est integra christianae religionis ac per-
 » fecta soliditas, et Petrus in suis successoribus semper
 » vivit, et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei verita-
 » tem, et judicium exercet. Intelleximus quoque majorem
 » in modum, Venerabiles Fratres, quomodo Vobis cordi sit
 » salutarem catholicae Ecclesiae doctrinam omni cura stu-
 » dioque integram inviolatamque tueri defendere, eamque
 » magis in dies propagare, et omnes gravissimi vestri mi-
 » nisterii partes strenue diligenterque implere. Summo qui-
 » dem gaudio, laetitiaque Nos affecerunt hujusmodi egregii
 » vestri sensus; catholicis Antistitibus plane digni, etiamsi
 » iidem nec novi, nec inexpectati Nobis extiterint. Itaque
 » dum de hisce praeclaris eximiisque vestris sensibus vehe-
 » menter atque ex animo gratulamur, Venerabiles Fratres,
 » a Vobis majore, qua possumus, animi Nostri contentione
 » exposcimus, ut pro perspecta vestra religione ac pietate
 » omnem vestram curam, operam, industriam, vigilantiam
 » adhibeatis, quemadmodum pastoralis vestri muneris offi-
 » cium omnino postulat, ut omnes fideles curae vestrae
 » commissi, et eisdem vestris sensibus animentur, et in
 » omnibus rebus veram germanamque catholicae Ecclesiae
 » doctrinam profiteantur. Ne desinatis unquam in id potis-
 » simum episcopalem vestram sollicitudinem ac zelum in-
 » tendere, Venerabiles Fratres, nullisque unquam consiliis
 » et laboribus parcite quo vestrarum Dioecesium fideles
 » catholica doctrina magis in dies eruditi constantissime
 » credant ac teneant quidquid catholica docet Ecclesia, et
 » diligentissime aversentur quidquid ab ipsa reprobatur ac

»damnatur Ecclesia. Atque inter alia ne omittatis fidelibus
 »vestrae vigilantiae concreditae assidue et accurate tradere,
 »atque inculcare catholicae Ecclesiae de Matrimonii Sacra-
 »mento, deque indissolubili Matrimonii vinculo doctrinam.
 »Neminem enim Vestrum latet juxta catholicae Ecclesiae
 »doctrinam fidelium matrimonium ratum ante consumma-
 »tionem posse dissolvi per solemnem alterutrius conjugis
 »in aliqua probata Religione professionem, vel per cano-
 »nicam dispensationem, quae a Romano tantum Pontifice
 »concedi potest, quaeque nonnisi ex gravissimis causis
 »rarissime indulgetur. Atque etiam optime nostis, eandem
 »Ecclesiam juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam
 »luculenter docere, matrimonii vinculum propter alterius
 »conjugum adulterium, vel propter haeresim, aut molestam
 »cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugate nun-
 »quam posse dissolvi, sed perpetuo firmum, et indissolu-
 »bile permanere ex notissima inspirati Aedae sententia, et
 »Christi Domini oraculo, atque Apostoli verbis, et Eccle-
 »siae traditione, quae omnia Vos apprime scitis. Quae
 »quidem perpetua, atque indissolubilis matrimonialis vin-
 »culi firmitas, non ex ecclesiastica disciplina profluens,
 »tanta est in matrimonio consummato, tum ex divino, tum
 »ex naturali jure, ut nullam ob causam ne ab ipso qui-
 »dem Romano Pontifice dissolvi unquam possit, etiamsi
 »ab alterutro conjugum fides conjugalis adulterio frangatur.
 »Quocirca, Venerabiles Fratres, pro sacerdotali vestra vir-
 »tute, et episcopali vestro in catholica doctrina tuenda ac
 »propugnanda studio nihil Vobis potius sit, quam studio-
 »sissime curare, ut fideles Vobis traditi haec recte addi-
 »scant, ac sedulo profiteantur, et servent. Quod si in ve-
 »stris Dioecesibus aliqui existant, qui perperam arbitrentur,
 »matrimonii vinculum adulterii causa posse dissolvi, omnis
 »a Vobis cura, vigilantia, auctoritas prudenter, constanter-
 »que est adhibenda, ut tam perniciosus, et catholicae do-
 »ctrinae vel maxime contrarius error ex illorum animis
 »radicitus evellatur, et penitus eliminetur. Ac pro vestra
 »sapientia probe intelligitis, Venerabiles Fratres, in tanti
 »momenti re omnes cujusque generis difficultates, si forte
 »objiciantur, esse omnino in omni patientia et doctrina
 »vincendas, cum agatur de catholica veritate divinitus re-

»velata, quam omnes catholicae Ecclesiae filii firmiter pro-
 »fiteri, ac servare tenentur. Quare iis omnibus, qui hujus-
 »modi difficultates Vobis forsitan afferre voluerint pro
 »episcopali vestra sollicitudine, zelo, ac scientia catholicae
 »Ecclesiae de hac re doctrinam clare aperteque exponite,
 »explicate, inculcate, ac simul ostendite, difficultates ipsas
 »nullo modo contra catholicam hanc veritatem admitti, et
 »opponi unquam posse. Insuper in illorum memoriam se-
 »dulo revocate, *eorum majores cum hujus Romanae Eccle-
 »siae unionem sincere amplexi sunt, non solum admisisse
 »quatuor notissima puncta in Concilio Florentino definita,
 »verum etiam declaravisse, se admittere, profiteri, ac cre-
 »dere quae eadem Romana Catholica Ecclesia admittit, pro-
 »fitemur et credit.* Nec cessetis unquam, Venerabiles Fra-
 »tres, omni studio ecclesiasticos vestrarum Dioecesium
 »homines, ac praesertim Parochos monere et exhortari, ut
 »hanc catholicae Ecclesiae de matrimonio doctrinam fideli-
 »bus assidue diligenterque explicent, evolvant, et in illo-
 »rum animis alte defigant. Atque eorundem ecclesiastico-
 »rum hominum zelum magis in dies excitate, inflammate,
 »ut propriae, vocationis semper memores, atque rationi,
 »exhortationi, doctrinaeque instantes virtutum omnium
 »exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii
 »munia naviter, scienter, sancteque obeant, et majore
 »usque alacritate, atque industria christianam plebem san-
 »ctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus imbuant,
 »erudiant, atque in sanctam catholicam unionem servan-
 »dam, promovendam, et sempiternam hominum salutem
 »procurandan totis viribus sub vestro ductu incumbant.
 »Plane non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro per-
 »specta vestra pietate, ac singulari erga Nos, et hanc
 »Petri Cathedram observantia Nostris hisce monitis quam
 »libentissime ac studiosissime obsequi velit. *Persuasissi-
 »mum autem Vobis sit, nihil Nobis gratius, nihil optatius
 »unquam fore, quam ea omnia peragere, quae in majorem
 »vestram ac vestrarum Dioecesium utilitatem cedere posse
 »noverimus.* Interim vero haud omittimus in humilitate cor-
 »dis Nostri assiduas, fervidasque Deo Optimo Maximo
 »adhibere preces, ut in abundantia divinae suae gratiae
 »Vobis semper propitius adsit, quo pergatis unanimes, et

»idipsum sentientes stare in uno spiritu, et custodire de-
 »positum, et loqui quae decent sanam doctrinam, et cer-
 »tare bonum certamen fidei. Atque superni hujus praesidii
 »auspicem et certissimum studiosissimae Nostrae in Vos
 »voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis ipsis,
 »Venerabiles Fratres, et gregibus curae vestrae commissis
 »amantissime impetitur. Datum Romae apud S. Petrum
 »die 25 Augusti Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno
 »Decimoquarto PIUS PP. IX.«

Inter documenta, hoc tempore, Orientalem Ecclesiam, adeoque Provinciam nostram ecclesiasticam, atque hac ratione hanc etiam Dioecesim propius respicientia, merito recensendae sunt Litterae Apostolicae »Romani Pontifices« PII IX, die 6 Januarii 1862 emanatae, quibus Congregatio de Propaganda Fide »*Pro Negotiis Ritus Orientalis*,« instituta est. Juerit idcirco eas etiam prae oculis habere, ut magis inde appareat, quanta cura, Sancta Sedes Apostolica, res Orientales prosequatur, adeo ut, spirituali Orientalium bono et necessitatibus, majorem in modum, prospectum sit. Tenor itaque Constitutionis Apostolicae hoc negotium respiciens, sequens est:

»PIUS PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. Romani »Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona »Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema »cura et potestas universam regendi ac moderandi Eccle- »siam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et labo- »ribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere »per omnes terras, et secundum Domini praeceptum con- »firmare Fratres, et homines nutantes sustinere, et imperi- »tos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et »incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione »infectos ad catholicae unitatis centrum reducere, et spi- »rituali omnium populorum bono consulere, et omnia per- »agere, quae majori Ecclesiae utilitati quovis modo con- »ducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino »fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis »populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes »paternas curas cogitationesque in Orientalis quoque Eccle- »siae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros »ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione,

»eloquentia, ac sapientissimis scriptis magnorumque recte »factorum et sanctitatis gloria insignes. — Et sane ut in »Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servare- »tur depositum, utque Ecclesiastica disciplina prospere »procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore »fulgeret iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit »donata et plura convocarunt Concilia, et varias eddere »Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut »Orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem sin- »gulare Romanorum Pontificum, et hujus Sanctae Sedis »erga orientales populos studium et amor semper viguit, »ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est »haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem »Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut »in Oriente catholica servaretur, et magis in dies propa- »garetur unitas. *Atque haec fidei unitas cum legitimorum »rituum varietate optime consistit, ex quibus immo major in »Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. »Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo num- »quam habuere orientales gentes ad ritum latinum ducere, »verum etiam, quoties opportunum esse existimarunt, lucu- »lentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle pro- »prios Orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae »originis antiquitate, et Sanctorum Patrum auctoritate com- »mendatos destruere vel immutare, sed unice velle ne quid »in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae »adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesia- »sticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memo- »riae Benedictus XIV Decessor Noster copiose demon- »stravit suis Encyclicis Litteris ad orientales Missionarios »die 16 Julii anno 1755 datis, quarum initium »*Allatae »sunt.*« Quod si orientales ritus alicujus arbitrio aliquando »immutati fuerint, id nunquam Apostolicae huic Sedi est »tribuendum. — Majores vero, ac potissimae post fune- »stissimum, et nunquam satis lugendum Photii schisma »curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Ponti- »ficibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae »optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exi- »tum cum in eodem Concilio sancta catholica unio jamdiu »tam vehementer expetita fuerit restituta. Cum vero Marcus*

» Archiepiscopus Ephesinus tanquam novus Photius hujus-
 » modi unionem insigni prorsus audacia convellere et la-
 » befactare est conatus, Romani Pontifices omnem dede-
 » runt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reduce-
 » rent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus
 » studiosissime occurrerent. Quocirca eorundem Pontificum
 » cura, et Missionarii ad Orientales gentes missi, et orien-
 » talium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Car-
 » dinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo
 » examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante
 » Clementis VIII Pontificatum specialis instituta fuit Congre-
 » gatio *de rebus Graecorum*, ac alia deinde sub eodem
 » Pontifice erecta *super negotiis fidei et religionis catholicae*,
 » paulo post appellata *de Propaganda Fide*, quae tum
 » Graecorum, aliorumque Orientalium negotia, tum fidei
 » propagationem in occidentalibus regionibus curaret. Atque
 » haec Congregatio eundem habebat finem, quem deinde
 » habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eo-
 » dem titulo *Propagandae fidei* insignita et a Gregorio XV
 » Apostolicis Litteris die 23 Maii anno 1622 datis et inci-
 » pientibus *» Inscrutabili* erecta cum munere *praesidendi*
 » *Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evange-*
 » *lium et catholicam doctrinam*. — At vero, inspecta Orien-
 » talium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit
 » statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis
 » generalis de Propaganda Fide institutionem, necesse esse
 » ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium gra-
 » viora negotia, quae majori examine et studio indigerent,
 » peculiariter a nonnullis ejusdem Congregationis generalis
 » Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII Ponti-
 » fice, qui in locum Gregorii XV fuit suffectus, duae spe-
 » ciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda
 » Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum
 » altera appellata *super dubiis Orientalium*, altera *super*
 » *correctione Euchologii Graecorum*. Ut vero opus ab hac
 » postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur,
 » et studia eidem pro Euchologio Graecorum commissa
 » omnes Orientalium libros complecterentur, nova Congre-
 » gatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propa-
 » ganda Fide erecta fuit a Clemente XI *super correctione*

» *librorum Orientalium* proprium habens Praefectum et
 » Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluri-
 » bus theologis virisque orientalium rituum et linguarum
 » peritis. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei
 » Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de
 » aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat pera-
 » gendum, eorum cura et examen fuerit demandatum pecu-
 » liaribus Consiliis, seu Congregationibus S. R. E. Cardi-
 » naliū ejusdem Congregationis de Propaganda Fide,
 » quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos
 » Melchitas, Armenios, Cophtos, Maronitas, Ruthenos, alias-
 » que orientales nationes respicbant. Haec autem agendi
 » ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis
 » viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Lit-
 » teris constituere existimavimus. Cum enim arcano Divi-
 » nae Providentiae consilio in hac Petri Cathedra licet
 » immerentes collocati pastoralis Nostrae vigilantiae, solli-
 » citudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum
 » humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac si-
 » mul omni contentione eniti et efficere, ut omnes cogno-
 » scant solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum,
 » et omnes occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii
 » Dei vitam habeant, et abundantius habeant, iccirco vel
 » ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad
 » Orientales studiosissime aequae ac amantissime converti-
 » mus, clementissimum misericordiarum Patrem sine inter-
 » missione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate
 » cum hac veritatis Cathedra sunt consociati magis in
 » dies stabiles et immoti persistent, et crescentes in scien-
 » tia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi per
 » bona opera certam eorum vocationem et electionem fa-
 » ciant, qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus
 » esse non potest, misere aberrant, ad illud redire prope-
 » rent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore, ut
 » dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et
 » ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim
 » vero prae oculis habentes praesentem Orientalium condi-
 » tionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedi-
 » menta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut orientalis
 » ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere

»communicare, et iccirco facilius Nobis sit gravibus illarum
 »indigentis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse
 »duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingemi-
 »natis studiis adhibere, ut spirituali eorundem Orientalium
 »bono et necessitatibus majorem in modum prospicere va-
 »leamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide
 »Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi
 »commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis propone-
 »ret quae potiora essent suscipienda consilia ad Orientalium
 »utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Car-
 »dinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam
 »multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et
 »quam necesse sit, ut illorum negotia propter linguae,
 »ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie
 »magis dirigantur, ex altera vero animadvertentes quae
 »quantaeque sint curae et occupationes ejusdem Congre-
 »gationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae
 »religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, in
 »divina adspirante gratia, in America septentrionali, in
 »Indiis orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae
 »locis singulari ejusdem Congregationis opera studioque
 »effectum, et ob auctum Sedium Episcopaliū et Aposto-
 »licorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Mis-
 »sionum numerum, vel facile sibi persuaserunt, eandem
 »Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus
 »difficultatibus Orientalium negotiis speciali modo providere
 »queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad
 »hujusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregatio-
 »nis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales
 »Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, insti-
 »tueretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo
 »omnia tum ritus, tum disciplinae orientalium Ecclesiarum
 »negotia tractanda ac dirigenda, unice curaret. Quam-
 »obrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Con-
 »gregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Con-
 »gregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omni-
 »busque et singulis cujusque generis Orientalium negotiis
 »tractandis unice operam navet, quaeque constet ex non-
 »nullis ejusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardi-
 »nalibus, atque a generalis ipsius Congregationis Cardinali

»Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, pro-
 »prios Consultores, ac proprios Officiales. *Nos igitur de*
 »*majori Orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia*
 »*peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorundem*
 »*prosperitati magis in dies conducere queant, de eorundem*
 »*Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium*
 »*consilio ac sententia hisce Litteris auctoritate Nostra Apo-*
 »*stolica praedictam specialem Congregationem pro omnibus*
 »*Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac diri-*
 »*gendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis*
 »tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litte-
 »ris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus. — Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis
 »Decessoris Nostri Gregorii XV Litteris „*Inscrutabili*“ alio-
 »rumque Romanorum Pontificum Constitutionibus ad eandem
 »Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in po-
 »sterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in nego-
 »tia latini ritus et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a
 »Nobis instituta omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta,
 »quae scilicet sive rei, sive personarum ratione Latinos
 »attingant, tractare debet, nisi eadem Congregatio ne-
 »gotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregatio-
 »nem deferenda esse interdum existimaverit. Atque haec
 »Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus Orientalis,
 »cui praeerit Cardinalis Praefectus Congregationis Propa-
 »gandae Fidei, constabit ex sufficienti numero Cardinalium
 »ipsius Congregationis Fidei Propagandae et proprios ha-
 »bebit Consultores, ac distinctum Secretarium, et Secre-
 »tariam cum suis propriis Officialibus. Ut autem huic Con-
 »gregationi a Nobis statutae praesto sint viri, qui Eccle-
 »siarum orientalium linguas, ritum ac disciplinam calleant,
 »in hanc almam urbem Nostram nonnullos accessivimus
 »ecclesiasticos viros doctrina, et orientalium rerum peritia
 »spectatos, qui suis studiis, et scientia eidem Congrega-
 »tioni a Nobis erectae auxilio sint in iis praesertim, quae
 »orientalium Ecclesiarum ritus ac disciplinam, et orienta-
 »lium librorum emendationem respiciunt. — Haec autem
 »Congregatio retinebit titulum *De Propaganda Fide* cum
 »hac tantum accessione *Pro negotiis ritus orientalis*, et
 »eodem utetur sigillo, quo Congregatio Fidei Propagan-

»dae utitur. Cum autem inter omnia orientalia negotia
 »huic Congregationi a Nobis commissa contineatur etiam
 »quidquid ad ejusdem ritus librorum emendationem spectat,
 »iccirco declaramus jam nunc extinctam Congregationem
 »hac de causa a Clemente XI institutam, veluti per has
 »Litteras auctoritate Nostra Apostolica plane supprimimus
 »et abolemus. Volumus tamen, ut in eadem Congregatione
 »hisce Nostris Litteris constituta existat Cardinalis *Ponens*
 »a Nobis, et a Nostris Successoribus stabili modo sem-
 »per eligendus, qui munere fungatur sedulo dirigendi stu-
 »dia, quae necessaria sunt ad colligendos Ecclesiae orien-
 »talis canones et ad examinandos, ubi opus fuerit, omnes
 »orientales libros cujusque generis sint, sive hujusmodi
 »libri respiciant Sacrorum Bibliorum versiones, sive ca-
 »techesim, sive disciplinam. — Practerea volumus, ut
 »Cardinales hujusce novae Congregationis a Nobis hisce
 »Litteris delecti in primo conventu dividant inter se
 »propria cujusque orientalis nationis negotia. Atque
 »hujusmodi divisio ita efficiatur, ut unusquisque Cardi-
 »nalis stabili modo penes se habeat negotia unius vel
 »plurium orientalium nationum, prout ei in divisione conti-
 »gerit. Cum vero eveniat, ut aliquis Cardinalis suscepto
 »munere perfungi non amplius queat, volumus, ut hujus
 »novae Congregationis Cardinales in ipsius Congregationis
 »conventu praesentes optionis jure potiantur, ita ut ulti-
 »mus ex praedictis Cardinalibus post peractam optionem,
 »illius orientalis nationis negotia procuranda suscipiat, quae
 »Cardinalis curatione vacaverint, quo omnes orientales na-
 »tiones suum semper habeant Cardinalem Relatorem, qui
 »Congregationem accuratissime certiore faciat de iis ne-
 »gotiis, in quae ipse incumbit. — Jam vero cum haec
 »Congregatio praescripto modo a Nobis excitata pars sit
 »Congregationis Fidei Propagandae, tum eidem novae
 »Congregationi, ejusque omnibus Officialibus concedimus
 »et impertimur omnes facultates et privilegia Congregati-
 »oni Fidei Propagandae a Romanis Pontificibus Praede-
 »cessoribus Nostris attributa ea plane ratione, qua eadem
 »privilegia et facultates in praesentia vigent. Hujus autem
 »Congregationis, cui praeerit pro munere, quo fungitur,
 »Praefecti generalis Congregationis de Propaganda Fide,

»Dilectus Filius Noster Alexander Presbyter Cardinalis
 »Barnabò, Cardinales eligimus et nominamus Venerabiles
 »Fratres Nostros Constantinum Patrizi Episcopum Portu-
 »ensem et S. Rufinae, ac Ludovicum Altieri Episcopum
 »Albanensem, itemque Dilectos Filios Nostros Camillum
 »Di Pietro S. Joannis ante Portam Latinam, Carolum Rei-
 »sach S. Caeciliae, et Antonium Mariam Panebianco SS.
 »XII Apostolorum Presbyteros Cardinales, nec non Dile-
 »ctos Filios Nostros Petrum Marini S. Nicolai in Carcere
 »Tulliano, Jacobum Antonelli S. Agathae ad Suburram,
 »et Prosperum Caterini S. Mariae de Scala Diaconos Car-
 »dinales, ex quibus destinamus *Ponentem* pro cognoscen-
 »dis orientalium Ecclesiarum libris, earumque canonibus
 »colligendis, veluti supra constituimus Cardinalem Carolum
 »Reisach. — Quod si quaelibet ecclesiastica Congregatio
 »semper habuit Consultores doctrina praestantes, qui gra-
 »viora ac difficiliora negotia sedulo perpenderent, eaque
 »prudenti sapientique Cardinalium examini, consilio, judi-
 »cioque exponerent, ac subiicerent, id vel maxime memo-
 »ratae Congregationi a Nobis pro Orientalium negotiis
 »institutae est necessarium ob idiomatum praesertim, ac
 »rituum varietatem, sine quarum rerum cognitione nec
 »accuratum iudicium, nec opportuna consilia suscipi pos-
 »sunt. Atque iccirco volumus, ut huic Congregationi sem-
 »per praesto sint, sufficienti numero Consultores non so-
 »lum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium
 »peritia instructi, aliisque dotibus ornati, quibus eidem
 »Congregationi utilitati et auxilio esse valeant. Cum vero
 »inter negotia Congregationis latini ritus, et illa orientalis
 »ritus mutua communicatio, et vinculum intercedere in-
 »terdum possit, tum statuimus ac decernimus, ut alterius
 »Congregationis Secretarius sit alterius Congregationis
 »Consultor. Ut autem praedictae Congregationi nunquam
 »desint viri, qui orientalium linguarum rerumque scientia
 »praediti Consultoris munus exerceant, eidemque Congre-
 »gationi quovis modo utilem operam praebeant, Cardina-
 »lis Praefectus Congregationis Fidei Propagandae Nobis;
 »Nostrisque Successoribus proponet eo, quo fieri potest,
 »numero ecclesiasticos viros delectos, seu ex illis, qui
 »Urbaniani Collegii fuerunt alumni, sive ex variis Religio-

»sis Familiis, ut Romam venientes omnia eorum studia
 »coimmemoratum in finem sedulo conferant. Interim vero
 »hujus novae Congregationis Consultores nominamus Ve-
 »nerabiles Fratres Alexandrum Franchi Archiepiscopum
 »Thessalonicensem S. Congregationis Negotiis Ecclesiasti-
 »cis Extraordinariis praepositae Secretarium, Josephum
 »Cardoni Episcopum Caristensem, ac Dilectos Filios Aloisium
 »Ferrari Pontificiarum caeremoniarum Praefectum,
 »Dominicum Bartolini SS. Rituum Congregationis Secre-
 »tarium, Josephum Fessler juris Canonici in Universitate
 »Vindobonensi Professorem Antistites Domesticos, et Bo-
 »nifacium Haneberg Ordinis S. Benedicti Abbatem Mona-
 »sterii S. Bonifacii ac Professorem S. Scripturae in Uni-
 »versitate Monacensi, Aloisium Vincenzi linguae Hebraicae,
 »Paulum Scapatucci linguae Siro-Chaldaicae, Philippum De
 »Angelis juris canonici in hac Romana Universitate Pro-
 »fessores; Carolum Vercellone Procuratorem Generalem
 »Congregationis CC. RR. SS. Pauli et Barnabae Aposto-
 »lorum, J. Baptistam Franzelin S. J. Sacrae Theologiae
 »in Collegio Romano Professorem, Augustinum Theiner
 »Presbyterum Oratorii S. Philippi Nerii, J. Baptistam Pitra,
 »Pium Zingerle, Bernardum Smith sodales Ordinis S. Be-
 »nediti. Volumus etiam, ut nonnulli ex Romano Clero
 »juvenes, qui eorum ingenio, et studiorum curriculo cum
 »laude exacto maiorem felicitatis exitus spem ostendunt, in
 »ecclesiasticarum orientalium rerum studia, aliquo Consul-
 »tore duce, naviter incumbant, quo ipsi Consultoris munus
 »in tempore sustinere possint; iteinquid volumus, ut qui
 »ex eisdem ecclesiasticis cum progressu hujusmodi studiis
 »vacaverint, praeferantur, dum ecclesiastica beneficia erunt
 »conferenda. — In eadem Congregatione, uti constituimus;
 »proprius Secretarius existere debet, qui omnia ejusdem
 »Congregationis munia exercent eo prorsus modo, quo
 »alter Secretarius Congregationis latini ritus exercet, et
 »eadem omnino tum in tractandis orientalis ritus negotiis,
 »tum in novae Congregationis conventibus habendis, me-
 »thodo servata, quae in praesentia a Congregatione Fidei
 »Propagandae adhibetur. Ad hoc autem Secretarii officium
 »deligimus et nominamus Dilectum Filium Joannem Simeoni
 »Protonotarium Apostolicum. Ut autem uterque Secretarius

»probe noscat omnia tum latini tum orientalis ritus nego-
 »tia, jubemus, ambos Secretarios interesse Conventibus utrius-
 »que Congregationis, ita tamen, ut Secretarius Congregationis
 »generalis Fidei Propagandae alterum Congregationis pro ne-
 »gotiis ritus orientalis ratione officii praecedat, et Proto-
 »notarius Apostolicus post utrumque Secretarium sedeat.
 »Quod autem attinet ad novae Secretariae Officiales volu-
 »mus, ut in ea sufficienti numero Officiales existant, prout
 »opus fuerit temporis decursu. Ambae Congregationes eo-
 »dem Tabulario, eademque Typographia omnino utentur.
 »Cum vero ex hujus novae Congregationis institutione
 »impendia augeantur Congregationis Fidei Propagandae,
 »iccirco congruos assignavimus fundos. — *Atque hic levantes*
 »*oculos Nostros ad miserationum Dominum, ab Ipso humiliter*
 »*enixeque exposcimus, ut divinae suae gratiae divitias super*
 »*orientales nationes copiose effundens, efficiat, ut tot olim illu-*
 »*stris in Oriente Episcopales Cathedrae Apostolorum auctoritate*
 »*constitutae, quae nunc, heu miserum! a petra, cui Ecclesia inni-*
 »*titur, sciunctae et collapsae jacent, denuo pristino exornatae*
 »*splendore reviviscant, atque uti antea vigant, floreat fideliter*
 »*custodientes fidei depositum, morumque disciplinam. — In eam*
 »*profecto spem erigimur fore, ut honorum omnium auctor et lar-*
 »*gitor Deus Nostris hisce curis propitius benedicere velit, utque*
 »*omnes Orientales qui catholicam veritatem profiteri gloriantur,*
 »*hisce paternis Nostris studiis magis in dies respondeant, nihilque*
 »*antiquius habeant, quam ut arctiori usque amoris et obsequii*
 »*vinculo huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaereant,*
 »*ac miseros errantes ad catholicam unitatem reducere contendant*
 » — Haec volumus, statuimus, praecipimus et mandamus
 »decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quae-
 »cumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes
 »vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac
 »praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de
 »subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu in-
 »tentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali
 »defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi re-
 »stringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adver-
 »sus eas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aut
 »aliud quodcumque juris vel facti, aut justitiae remedium
 »impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et effi-

»caces existere et fore, suosque plenarios et integros
 »effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spe-
 »ctat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter
 »observari, ac praedictae novae Congregationi pro nego-
 »tiis ritus orientalis, nec non personis, quarum favorem
 »praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris
 »temporibus plenissime suffragari debere; neque ad pro-
 »bationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem
 »praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in ju-
 »dicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus
 »super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel igno-
 »ranter contigerit attentari, irritum ac inane esse ac fore
 »volumus et declaramus. — Non obstantibus commemo-
 »ratis Apostolicis Litteris Gregorii XV incipientibus „*In-
 »scrutabili*“ itemque Clementis XI aliisque omnibus Roma-
 »norum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutio-
 »nibus, nec non de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris,
 »et Cancellariae Apostolicae Regulis, itemque Congregationis
 »Propagandae Fidei etiam confirmatione Apostolica, vel quavis
 »firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis
 »quoque, indultis et concessionibus, quamvis expressa, specifi-
 »ca et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis,
 »eorum totis tenoribus et formis, praesentibus pro inser-
 »tis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime
 »et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ce-
 »terisque contrariis quibuscumque. — Datum Romae apud S.
 »Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta mensis Januarii Anno
 »MDCCLXII. Pontificatus Nostrum Anno decimosexto. G. B.
 »Card. Pianetti.« (Ex Actis Pii IX. P. I. Tom. III. pag. 402.)

Interea Episcopus dioecesanus BASILIUS L. B. ER-
 DÉLYI, cujus Episcopatus tempore haec omnia constituta
 et peracta sunt, Gymnasio Belényesiensi Musaeum physi-
 cum procuravit, scholam elementarem ejatam sicut et Ma-
 gno-Varadinensem in scholam normalem 4 classium evexit,
 atque ex proprio, una cum schola graphidis, dotationem
 supplevit, perpetuis foundationibus auctas; fundo viduo-
 orphanali 4000 florenos donavit, aliasque insuper fundatio-
 nes posuit. Post ejus decessum Dioecesis, titulo tertialita-
 tis massae reliquariae ejusdem, summam 42000 florenorum
 haereditavit, quae nunc sic dictam *Cassam dioecesanam*

constituit. Postquam Dioecesim 19 annis, turbulentissimis
 prorsus status civilis temporibus, magna cum prudentia
 rexisset, qua Suae Majestatis Sacratissimae Actualis Inti-
 mus Status Consiliarius et Ordinis S. Stephani parvae
 crucis Eques, viam universae carnis ingressus; obdormivit
 in Domino die 27 Martii 1862.

Ejus successor JOSEPHUS PAPP-SZILÁGYI DE
 ILLYÉSFALVA, SS. Theologiae Doctor, Abbas S. Pan-
 teleonis de Ráczeve, Sacratissimae Caesareae et Re-
 giae Apostolicae Majestatis Consiliarius, Insignis Or-
 dinis Francisci Josephi I. Eques, e Canonico Cantore Ca-
 thedralis Ecclesiae gr. r. cath. Magno-Varadinensis, Con-
 siliario et SupremoInspectore Scholari, ac Vicario Generali
 Capitulari, die 1-a Novembris 1862, in Episcopum cle-
 menter nominatus, per Summum Pontificem Romanum
 PIIUM IX praeconisatus, die vero 3 Maii 1863, per Me-
 tropolitam ALEXANDRUM STERC'A SIULUTIU, Baláz-
 falvae in Transylvania consecratus, et 18 ejusdem mensis
 solemniter installatus; peractaque installatione statim Apo-
 stolorum Limina visitanda suscepit, occasione vero Festi
 saecularis martyrii Sanctorum Principum Apostolorum Petri
 et Pauli 1867 denuo Romam profectus, die 17 Junii ejus-
 dem anni Solio Pontificio Assistens renunciatus, atque VI
 Kal. Julii ejusdem anni inter Socios eruditae Academiae
 Romanae de Religione Catholica cooptatus fuit.

Ordo chronologicus postulat, ut hic in memoriam re-
 vocetur tum Sedis Episcopalis Fogarasiensis ad dignitatem
 Sedis Metropolitanae Albo-Julienensis evectionem, tum etiam
 novarum, Lugosiensis scilicet et Armenopolitanae sive
 Szamosújváriensis Dioecesium erectionem, Articulo XXXIX
 ex 1868, inter Leges quoque Regni fuisse inarticulatas.

Memoratus Episcopus interea, annis nempe 1869 et
 1870 interfuit Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano,
 ac in frequentissimo illo totius orbis christiani Praesulum
 coetu, activas habuit partes, atque suffragio Patrum, tum
 qua Antistes Graeci Ritus, tum etiam qua eruditissimi
 operis »Enchiridion Juris Ecclesiae Orientalis Catholicae«
 multorum, scientiae rerum Orientalium avidorum, manibus
 triti, auctor, inter Membra Commissionis SS. Missionum atque
 Rituum Orientalium recensitus, palam professus est id,



JOSEPHUS PAPP-SZILÁGYI DE ILLYÉSFALVA

V. Episcopus dioecesanus.

quod Concilium postmodum, quoad infallibile Romani Pontificis magisterium, Constitutione dogmatica »Pastor aeternus« die 18 Julii 1870 edita, sic pro fidei dogmate definiuit: »Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: »Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, »cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere »fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam »definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor »Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani »Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu »Ecclesiae irreformabiles esse.«

Durante Concilio anno nempe 1870, nobilissimam quoque Cathedralis Ecclesiae turrim per Episcopum Ignatium Darabanth aedificatam et sub Episcopo Samuele Vulcan in cineres redactam, aere proprio, hunc in finem munificentissime impensó, in pristinam formam (V. pag. 59.) curavit restitui, aureis decorationibus ditissime exornatam; quemadmodum id testatur sequens etiam, in orientali turris facie, aureis litteris expressa, chronographa inscriptio:

HO C OPVS IGNATII TERRENS COMBVSSE RAT IGNIS

IOSEPHI AES SPONSI TOLLIT AD ASTRA POLLI.

Inde, Roma scilicet, hoc eodem anno ad Sedem suam Episcopalem reversus, quamvis multum insudasset in id, ut primo nostro Concilio Provinciali viam sterneret, imo voluminosa etiam pro tali Concilio schemata elucubrasset, mox gravi, eoque chronico morbo correptus, ipsi Concilio Provinciali, per tunc temporis Metropolitanam Dr. JOANNEM VANCEA DE BUTEAS'A in 5-am Maii 1872 indicto, et Balázsfalvae 5—14 Maii celebrato, personaliter interesse non potuit, sed suum eo misit Procuratorem Dr. JOANNEM

SZABÓ, tunc temporis Cathedralis Ecclesiae Canonicum Custodem, qui de praesenti Armenopolitanus sive Szamos-ujvariensis est Episcopus. Quae autem, et quo cum effectu, in hoc Primo Concilio Provinciali fuerint gesta, ex inferius dicendis apparebit. — Interea praeclarus Antistes, morbo, quo detinebatur, magis in dies ingravescente, praecipuam suae substantiae partem, testamentaliter in pios fines dioecesanos relinquens, postquam velut lucerna super candelabrum posita, suo gregi, intemeratae fidei, omniumque virtutum semet exemplum exhibuisset, die 5 Augusti 1873, anno aetatis 61-mo, Episcopatus vero sui anno 11-mo, animam suam Creatori restituit; moxque, post 40 ab ejus obitu dies, eidem suffectus est:

JOANNES OLTEANU, qui 25 Decembris 1839 natus, Clero Dioecesis Lugosiensis adscriptus, qua Secretarius Episcopalis ac Notarius Consistorialis, nec non Archidiaconus ad honores et Suae Sanctitatis Summi Pontificis Cubicularius Secretus, die 25. Julii 1870 in Episcopum Lugosensem elementissime nominatus, ac 15 Octobris ejusdem anni per Summum Pontificem Romanum PIUM IX. praeconisatus, 18 Decembris vero per Episcopum JOSEPHUM PAPP-SZILÁGYI DE ILLYÉSFALVA, in Cathedrali Ecclesia gr. r. cath. Magno-Varadinensi solemniter consecratus; anno 1873 post obitum laudati Antistitis, praevia nominatione benignissima 16 Septembris emanata, per eundem Summum Pontificem, qua jam Insignis Ordinis Leopoldini Commendator, ad Sedem Episcopalem gr. r. cath. Magno-Varadinensem translatus, in eamque 24 Januarii 1874 installatus est. Hoc Praesule, Dioecesis, anno 1877 Sedis hujus Episcopalis centennariam erectionis memoriam pie recoluit. Hic idem Episcopus, castellum dominale Belényesiense, post mortem Antecessoris Sui incendio vastatum, aere proprio restaurari, Residentiam vero Episcopalem (V. Pag. 27.) in onus radicalium Domini Episcopalis capitalium, per Successores redintegrandum, amplificari curavit. Per Sacratissimam Suam Majestatem Insignis Ordinis Francisci Josephi I Magnae Crucis Eques renunciatus, per Breve vero Apostolicum de dno 27 Novembris 1877 inter Suae Sanctitatis Summi Pontificis Antistites Domesticos, una et Solio Pontificio Assistentes ac Comites Romanos cooptatus, antequam Litterae



JOANNES OLTEANU

VI. Episcopus dioecesanus.

Apostolicae desuper exaratae, expeditae fuissent, gravi morbo correptus, die 29 Novembris 1877, anno aetatis suae 38., Episcopatus autem sui anno 7, a capessito vero hujus Dioecesis regimine anno 4 mortuus est, eique post diuturnam eamque deplorabilem Sedis Episcopalis vacantiam tandem successit:


MICHAEL PAVEL DE PETERITYE, pauperibus quidem sed honestis e parentibus natus et nobili prosapia oriundus, primam lucem conspexit die 6 Septembris 1827 in pago Lénárdfalva, Comitatu Szatmár gremiali. Studia sua elementaria atque grammaticalia in Libera Civitate Regia Nagybánya inchoata, Szathmárini continuata, mediis propriae sustentationis semper indefessa diligentia sibi acquisitis, Cassoviae exegit. Curriculo sic gymnasiali una atque philosophico cum laude confecto, albo Cleri junioris dioecesis Munkácsiensis adscriptus, ad prosequenda studia theologica Viennam missus, sacris disciplinis qua alumnus Seminarii centralis ad S. Barbaram incubuit, donec propter ingentes motus civicos anno 1848 undique excitatos, in patriam redux, studia sua theologica Ungvárini, respective Szathmárini, terminavit. — Anno 1852, die 21 Martii, qua coelebs, in Sacerdotem ordinatus, primum, munus Notarii consistorialis Munkácsiensis, pro parte Romenorum adeptus est. Inde ad curam animarum dispositus, in pago Alsó-Apsa, Comitatu Máramaros, munere pastorali eo usque functus est, donec, erecta interea Dioecesi Armenopolitana sive Szamosujváriensi, per primum hujus Dioecesis Episcopum JOANNEM ALEXI, anno 1856 sibi in Notarium Consistorialem adscitus, circa organisationem neoerectae Dioecesis, tam assiduam, eamque utilem Praesuli suo Episcopo operam praestitit, ut in dignam ejusmodi fatigiorum remunerationem, Praesul ipse suus 1860 eundem in Parochum Szlatinaensem denominans, ad dignitatem quoque Vicarii Foranei Episcopalis partium Máramarosiensium evexerit. — Qua talis, tumultus, ex occasione controversiae intuitu Parochiae M.-Szigethiensis emersae suscitatus, eatenus sopivit, quatenus ipse praecipuus auctor extitit, ut fidelibus labii romeni dictae Parochiae, jurisdictioni Episcopi Munkácsiensis, canonicè subductis, iidem Dioecesi Szamosujváriensi fuerint ingremiati, itinere hunc in



MICHAEL PAVEL DE PETERITYE

VII. Episcopus dioecesanus.


finem, non solum ad Sacram Nuntiaturam Apostolicam Viennensem, sed inde, durante Oecumenico Concilio Vaticano, Romam etiam aggresso. Ipse stravit etiam viam, quam ejus quoque postmodum in Sede Episcopali Szamosujváriensi successor ingrediens, eo tandem perventum est, ut dismembrata haec Szigethiensis Romenorum Parochia, per Excelsum Aerarium qua Patronum, proxime jam ad normam ejatis Parochiae Ruthenorum, et dotaretur, et ecclesia, aedibusque parochialibus adamussim provideretur, neoërectaque haec Parochia jam de facto Sedes etiam ejatis Vicariatus Foranei evaserit. — Vix duodecim annis in arduo hoc munere vicariali exactis, postquam anno 1871 in Deputatum Districtus Máramaros-Szigethiensis electus, ad Regni Comitia fuit missus, anno vero 1872, ceu Suae Dioecesis Theologus, Concilio Provinciali Primo, in 5-am Maji ejusdem anni, indicto, interfuit, qua jam Ordine etiam Equestri Francisci Josephi I. insignitus, dignus inventus est, cui gubernacula ipsa Dioecesis Szamosujváriensis committerentur. Die namque 11. Septembris 1872 in Episcopum Szamosujváriensem nominatus, die vero 23 Decembris ejusdem anni per Summum Pontificem PIUM IX praeconisatus, die autem 26 Januarii 1873 per tunc temporis Metropolitanam JOANNEM VANCEA DE BUTEAS'A in Metropolitana Ecclesia Balázsfalvaensi solemniter consecratus, tandem die 23 Februarii illius anni, Sedem Suam Episcopalem Szamosujváriensem capessivit, eamque ad majorem Dei gloriam, Sacraeque Unionis incrementum, eo usque feliciter gubernavit, donec praevia benignissima nominatione regia diei 29 Januarii 1879, per gloriose regnantem Summum Pontificem LEONEM XIII, Bulla praeconisationis Idibus Maii 1879 emanata, ad consummandum opus ministerii canonice ad Sedem Episcopalem Magno-Varadinensem translatus, eandem, die 8 Junii 1879 inter consuetae installationis solemnitates, plaudente magna Cleri, populique fidelis frequentia, in Domino occupavit, statimque manum ad aratrum apposuit, ut jam inde a sui Episcopatus exordiis quam plurima extarent pastoralis suae sollicitudinis vestigia, quibus testatum esset, quantumtopere Eidem cordi sit, tum ut collapsa disciplina ecclesiastica restauraretur, tum ut populi mores ad normam divinae Legis exigantur, tum ut praesto sint media quibus



INTERNUM CATHEDRALIS ECCLESIAE

per Eppum M. Pavel restauratae et exornatae.

Instituta culturalia dioecsesana jam existentia in assequendo fine iisdem praestituto succolentur, et nova progressive erigantur ejusmodi Instituta, promovendae culturae religioso-morali inservientia. Hinc est, quod quamvis oeconomicus Dominii episcopalis status, Eidem resignatus, magna statim aggredi non siverit; hoc non obstante, ex Eius munificentia et liberalitate: *a)* Ecclesiam Cathedralem (V. pag. 59) jam intus et extra, domus Dei decori convenienter, splendide exornatam conspicimus; *b)* Canonici Cathedralis Ecclesiae commodas, statuque eorum conformes habent habitationes; *c)* scholam elementarem normalem localem e fundamentis novitus exstructam, omnibusque requisitis provisam cernimus; *d)* saecularis juvenus in Seminario domestico pro Clero juniore succrescens vestibus providetur; *e)* Ecclesia parochialis Belényesiensis per Episcopum Ignatium Darabanth quondam exstructa (V. pag. 40) tum intus tum extra proportionaliter splendorem Cathedralis Ecclesiae aemulatur; *f)* domus vero parochialis Belényesiensis e fundamentis erecta, Ejus patronalis munificentiae praeconium constituit; *g)* inter Professores Gymnasii Belényesiensis vix est qui examen approbatorium non cum laude subierit; *h)* Professores Gymnasii dotatione eorum statui magis ac magis conformi, provisi sunt; *i)* jacta sunt fundamenta honestae pensionis Professorum emeritorum, quemadmodum etiam viduarum et orphanorum eorundem; *k)* ipsam aedem Gymnasii restauratam, temporisque exigentis conformiter tantundem ampliatam (V. pag. 67), palaestraque gymnastica, aliisque adminiculis, ad juventutis institutionem necessariis ita provisam intuemur, ut vix aliquid ad id desiderari queat; *l)* Gymnasio contiguus extat Belényesini Internatus »Pavelianus« pro juventute scholarum ad pietatem et scientias in spiritu Ecclesiae excolenda exstructus, veluti perenne generosi sui Fundatoris munificae liberalitatis monumentum, in eoque de praesenti, partim gratis, partim erga moderatum censum 134 juvenes intertententur; *m)* idipsum praestat Orphanotrophium »Pavelianum« Belényesiense pro educandis puellis, cum schola civili conjunctum in quo numerus internistarum de praesenti 60 est; *n)* unus autem juvenis Gr. R. C., vi perpetuae fundationis hunc in finem positae, in Instituto Nobilium a




NEOERECTAE DOMUS CAPITULARES (Ad Septentriones sitae).

»FRANCISCO-JOSEPHO I.« nuncupato, Budapestini indesinenter ad scientias excolitur; et ut multa silentio premantur o) sacerdotum in cura animarum constitutorum multitudo, sive per usufructum realitatum immobilium, sive per manualia subsidia, fit inexhaustorum beneficiorum particeps: adeo ut, historico hujus Spicilegii characteri nimis prorsus officeret, si horum, ne haec quidem, per summos apices, facta hic fuisset, synoptica recensio.

Cum autem interea, anno nempe 1881, Decreta Concilii Provincialis Primi, cujus superius (pag. 109) jam facta est mentio, per Sanctam Sedem Apostolicam revisa, clausula *recognitionis* fuerint provisa: Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus, pro iisdem publicandis, diebus 7—12 Novembris 1882 *Synodum Dioecesanam celebravit*.

Ipsum »DECRETUM Quo Concilium Primum Provinciae Alba-Julienensis et Fogarasiensis recognoscitur,« sic sonat:


»Cum s. m. Pius Papa IX Apostolicis litteris *Eccliesiam Christi* datis sexto Kalendas Decembris anno Incarnationis Dominicae 1853 erexisset Provinciam Ecclesiasticam graeci ritus Rumeni in Transilvania, Archiepiscopus et Episcopi suffraganei novae Provinciae ad celebrationem primi Provincialis Concilii animum adiecerunt; quod R. P. D. Joanne Vancea Archiepiscopo Fogarasiensi et Alba-Julienensi anno 1872 die 5 Maii indictum, die 14 ejusdem mensis feliciter absolutum fuit. Cum itaque ejusdem Decreta idem R. P. D. Archiepiscopus, aliique Provinciae Praesules, eo quo par erat obsequio S. Sedis examini judicioque subjecissent Emi Patres S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, eadem ad examen revocarunt, et juxta exemplar hisce adnexum recognoverunt; in cujus recognitionis testimonium praesens Decretum edi mandarunt, *ut ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observentur*. — Quam S. Congregationis sententiam cum subscriptus Secretarius SSmo Dno Nostro LEONI PAPAE XIII in Audientia diei 8 Martii hujus anni retulerit, Sanctitas Sua in omnibus eam probavit et ratam haberi voluit, contrariis quibuscumque non obstantibus. — Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis die 19 Mar-



NEOORTHODOXA DOMUS CAPITULARES (Ad Orientem sitae).


»tiii an. 1881. Joannes Card. Simeoni Praefectus. Seraphinus Cretoni Secretarius.«

Quia vero Concilium isthoc Provinciale, hac ratione, ejusdem prorsus est auctoritatis; cum Synodo Provinciali Ruthenorum habita in civitate *Zamosciae* anno 1720, Benedicto XIII Pontifice, et cum Synodo Provinciali Syrorum Maronitarum in *Monte Libano* celebrata anno 1736, Clemente XII Pontifice, quarum aequae maxima est auctoritas: operae pretium erit saltem per summos apices nosse hinc id, quod in hoc nostro Concilio Provinciali Primo, actum sit. Actum est vero: TIT. I. *De Fide*. C. I. De Fide catholica et sacra Unione; C. II. De Immaculata Sanctissimae Virginis Mariae Conceptione; C. III. De professione Fidei; C. IV. De Religionis indifferentismo. — TIT. II. *De Ecclesia*. C. I. De potestate hierarchica in Ecclesia; C. II. De Romano Pontifice; C. III. De Metropolitibus; C. IV. De Episcopis; C. V. De Presbyteriis sive Ecclesiarum Cathedralium Capitulis; C. VI. De Vicariis generalibus Episcoporum et de Vicariis Capitularibus; C. VII. De Vicariis Foraneis; C. VIII. De Protopopis: Protopresbyteris et de Administratoribus officii Protopopalis; C. IX. De Parochis, Parochiarum Administratoribus et de Cooperatoribus sive Capellanis. — TIT. III. *De Synodis*. C. I. De Synodis in genere; C. II. De Synodis Oecumenicis; C. III. De Synodis Provincialibus; C. IV. De Synodis Dioecesanis. — TIT. IV. *De Beneficiis Ecclesiasticis*. C. I. De Beneficiis ecclesiasticis in genere; C. II. De Beneficiis parochialibus; C. III. De statu Parochiarum ordinando atque de earundem Dotatione; C. IV. De Beneficiorum parochialium collatione. — TIT. V. *De SS. Sacramentis*. C. I. De Sacramentis in genere; C. II. De Sacramentis in specie; De Sacramento Baptismi; C. III. De Sacro Chrismate sive de Sacramento Confirmationis; C. IV. De Sacramento Eucharistiae; C. V. De Sacramento Poenitentiae; C. VI. De Sacramento Extremae Unctionis; C. VII. De Sacramento Ordinis; C. VIII. De Sacramento Matrimonii; C. IX. De Matrimoniis mixtis. — TIT. VI. *De Cultu Divino*. C. I. Necessitas Cultus Divini; C. II. De Cultu divino promovendo et de Sanctificatione dierum festorum; C. III. De Cultu divino domestico sive pietate



NEOERECTA DOMUS SCHOLARIS ELEMENTARIS
NORMALIS M. VARADINI.


domestica promovenda; C. IV. De Cantu ecclesiastico promovendo; C. V. De Ritus ac Typici ecclesiastici scientia promovenda; C. VI. De ecclesiasticis ac precatationum Libris revidendis et edendis; C. VII. De Ephemeridibus ecclesiasticis edendis; C. VIII. De Jejniis; C. IX. De abusibus Blasphemiarum, Imprecationum ac Superstitionum extirpandis; C. X. De piis Ecclesiae suffragiis pro defunctis; C. XI. De Sepultura ecclesiastica et Coemeterio. — TIT. VII. *De vita Clericorum*. C. I. De clericorum obligatione in sacris scientiis progrediendi ac semet perficiendi; C. II. De clericorum obligatione moribus ac vita exemplari proficiendi; C. III. De Presbyteris coelibibus; C. IV. De Presbyteris conjugatis; C. V. De secundis nuptiis Clericorum in Sacris Ordinibus constitutorum; C. VI. De privata clericorum Recreatione; C. VII. De clericorum habitu. — TIT. VIII. *De Ordine monastico S. Basilii Magni*. C. I. De Ordine S. Basilii Magni restaurando; C. II. De monasteriis hujusce Ordinis in Provincia ecclesiastica graeco-catholica Alba-Julieniensi constituendis atque coordinandis; C. III. De Monachis Basilitis ad cathedras in Gymnasiis graeco-catholicis dioecesanis applicandis; C. IV. De illorum pro adjunctis ad alia quoque educationis instituta applicatione. — TIT. IX. *De juventutis Institutione*. C. I. De cleri junioris educatione ac institutione; C. II. De scholis gymnasialibus graeco-catholicis; C. III. De Institutis paedagogicis (Praeparandorum) dioecesanis; C. IV. De dioecesanis scholis normalibus principalibus; C. V. De scholis elementaribus; C. VI. De scholis dominicalibus repetitionalibus, et de catechesi. — TIT. X. *De judiciis ecclesiasticis*. C. I. De Consistoriis dioecesanis; C. II. De Foris matrimonialibus; C. III. De Instantiarum Foris. — Decretum subscriptionis Actorum Synodali. — Decretum quo Concilium Primum Provinciae Alba-Julienensis et Fogarasiensis recognoscitur. — *Appendix*, sequentia documenta continet: I. Litterae S. Congregationis Indicis super censura librorum. — Mandatum S. M. Leonis XII. additum Decreto S. Congregationis Indicis die Sabbati 26 Martii 1825. — Monitum Sac. Congreg. editum Feria III. die 4 Martii 1828. — Monitum Sac. Congreg. feria V. die 7 Januarii 1836. — II. Instructio Sacr. Congr. de propaganda



INTERNATUS PAVELIANUS BELÉNYESIENSIS
pro educationis juvenibus.

Fide ad Ven. ac praestantis. Archiepiscopum Fogarasiensem et Albae-Juliae et ad VV. Episcopos Provinciae Transylvan. transmissa: De indissolubilitate Matrimonii in casu adulterii et perfidae desertionis. — III. Instructio S. Congreg. ge propag. Fide ad Archiepiscopum Fogarasiensem et Episcopos ejus suffraganeos graeci-ritus uniti mense Junio 1858 emanata: De Matrimoniis mixtis. — IV. Instructio. De communicatione in divinis catholicorum cum haereticis et Schismaticis, edita pro Missionariis orientis, anno 1729. — Et: Super Dubiis propositis a quodam Missionario Civitatis Tenos in Pelopponeso, et a Sacra Congregatione de propaganda Fide ad S. Officium transmissis per ejus R. P. D. Secretarium die 24 Martii 1753: Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum decrevit. — V. Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide ad R. P. D. Episcopum Rosensem super sepultura Catholicorum in coemeteriis Protestantium. — VI. Instructio transmissa a S. Congregatione de propaganda Fide ad Archiepiscopum Provinciae Ecclesiasticae Fogarasiensis et Alba-Juliensis, et die 28 Junii anno 1858 emanata: De Continentia Clericorum. — VII. Schema Summariae instructionis in causis Matrimonialibus inchoandis, tractandis, ac definiendis.

Quod vero *Statuta Synodi Dioecesanac* diebus 7—12 Novembris 1882 asservatae adinet, in his sermo est: I. De publicatione Decretorum Concilii Provincialis anni 1872; de iisque tanquam de Codice Legum Ecclesiasticarum Dioecesis agitur; — II. De Foris Protopopulibus (Quoad quae, utpote nondum in Dioecesim introducta, ab omni ulteriori dispositione supersedetur); — III. De vita religioso-morali deque consolidatione disciplinae in Clero et Populo; — IV. De educatione Clericorum et de Seminario domestico. — V. De Gymnasio Belényesiensi; — VI. De Praeparandía dioecesaná; — VII. De Foundationibus dioecesanis; — VIII. De statutis dioecesanis, deque dispositionibus circularibus, signanter: a) De ecclesiis earumque bonis; b) De bonorum ecclesiasticorum administratione; c) De Parochiis earumque provisione, deque proventibus parochialibus; d) De sacris functionibus; e) De quibusdam obligationibus Sacerdotum curae animarum addictorum quoad



INTERNATUS „PAVELIANUS“ BELÉNYESIENSIS
pro educandis puellis, eum schola civili.

seipsos et quoad suos fideles; f) De modo quo Sacerdotes erga acatholicos se gerant; g) De Sacerdotibus in album castrensiū relatis et de clericis; h) De examine synodali et prosynodali; i) De officiosis Protopoparum et Sacerdotum obligationibus; j) De correspondentiis officiosis, deque libellorum supplicium promotione; k) De Fundationibus dioecesanis; l) De matriculis et de extractibus matricularibus; m) De quibusdam abusibus in populo observatis; n) De militibus deque sacris functionibus iisdem praestandis; o) De aedium ecclesiasticarum et parochialium conservatione et restauratione; p) De massa posthuma sacerdotum; q) De taxis cancellariae et de diurnis; r) De scholis, de cantor-docentibus, et de eorundem preventibus; — IX. De Examinatoribus Synodalibus; — X. De stipendiis missalibus; — XI. De impedimento clandestinitatis (quod quamvis in hac Dioecesi non constituat adhuc impedimentum dirimens, poenae tamen minitantur iis, qui alterius parochiae fideles absque proprii parochi delegatione et sine praescriptorum testium praesentia, copulare praesumerent); — XII. De neoerectis aedificiis ecclesiasticis et parochialibus; — XIII. De advocatis dioecesanis extragremialibus; — XIV. De symbolis, per sacerdotes coelibes et viduos prolibus carentes, fundis dioecesanis inferendis; — XV. De observandis occasione regulationum urbarialium; — XVI. De usufructu coemeteriorum parochialium; — XVII. De officio exactorali dioecesano; — XVIII. De organisatione scholarum elementarium.

Interea Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus, interfuit Secundo etiam Concilio Provinciali, Balázsfalvae hoc eodem anno 1882 (a 30 Maii usque 6 Junii) celebrato, eidemque definiens subscripsit. — Quod cum Concilium, per Sanctam Sedem Apostolicam pariter *recognitum* sit; exstet hic:

» *Decretum, quo Concilium Secundum Provinciae Alba-Julienensis et Fogarasiensis recognoscitur.* — Secundo post erectam Ecclesiasticam Provinciam graeci ritus Rumeni in Transsilvania R. P. D. Archiepiscopus Fogarasiensis et Alba-Julienensis atque Episcopi suffraganei in provinciale

» concilium convenire sategerunt. Cum Synodalis conventus die 30 Maii inchoatus, et 6 die insequentis Junii anni 1882 absolutus fuisset, memoratus Praesul ejusdem acta et Decreta ad hanc S. Congregationem de Prop. Fide et Negotiis Orientalibus mittere properavit, enixe postulans: ut ea S. Sedis auctoritate recognoscerentur. — Porro iisdem Actis et Decretis maturo examine perpensis in generalibus Comitibus dierum 9 ac 30 Junii, 7 et 21 Julii currentis anni, Emmi Patres praelaudatae S. Congregationis ea ipsa juxta exemplar hisce adnexum *recognoverunt, atque in lucem edi posse declararunt.* — Quam S. Consensus sententiam cum subscriptus Secretarius SSmo Domino Nostro LEONI PP. XIII in audientia 30 Septembris hujus anni retulisset, Sanctitas Sua eam probare, ratamque habere dignatus est, contrariis quibuslibet minime obstantibus. — Datum Romae ex Aedibus ejusdem S. C. de Prop. Fide pro NN. OO. die 1 Octobris an. 1884. Joannes Card. Simeoni Praefectus. Seraphinus Cretoni Secretarius. «

Ea vero, quae hoc in Concilio Provinciali Secundo decreta sunt, sequens Synopsis exhibet: TIT. I. De Professione Fidei (ubi formula per Summos Pontifices Urbanum VIII et Benedictum XIV pro orientalibus praescripta, observanda traditur, iis versus finem interjectis, quae in Oecumenico Concilio Vaticano definita et declarata sunt). — TIT. II. Constitutiones Capituli Metropolitan. — TIT. III. Executio restorationis Ordinis religiosi Basilitarum in hac Provincia ecclesiastica. — TIT. IV. Instructio pro judiciis ecclesiasticis Provinciae metropolitanae graeco-catholicae Alba-Julienensis et Fogarasiensis quoad causas matrimoniales. — TIT. V. Normae pro Judiciis ecclesiasticis Provinciae ecclesiasticae gr. catholicae Alba-Julienensis et Fogarasiensis quoad proceduram in causis ecclesiasticis civilibus et criminalibus observandae. — TIT. VI. Statuta administrationem bonorum ecclesiasticorum et scholasticorum spectantia. — Subjungitur Decretum de subscribendis Synodi decretis, et Decretum, quo Concilium Secun-

dum Provinciae Alba-Julienensis et Fogarasiensis recognoscitur. — In *Appendice* vero sunt: I. Supremae Sacrae Congregationis S. O. Instructio ad probandum obitum alicujus conjugis edita anno 1868, et II. Instructio ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos rituum orientalium in causis matrimonialibus adhibenda, probata in Congregatione generali Emorum ac Rmorum PP. in rebus fidei inquisitorum generalium feria IV die 20 Junii 1883.

Haec autem Concilii Provincialis Secundi decreta, dispositioni Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi, per Litteras Circulares die 2 Aprilis 1886 No. 398 emanatas, Venerabili Clero dioecetano intimatae conformiter, die 27 Aprilis 1886, in tertiam Festi Resurrectionis Domini diem incidente, cum eo fuerunt in Dioecesi districtualiter publicata, ut eadem, a 1-a Maii ejusdem anni, vim omnes obligandi habere incipiant.

Interea idem Excellentissimus Dominus Praesul noster Episcopus, cui nihil est antiquius, quam ut devotio in Sanctam Sedem Apostolicam, in omnium animis altissimas radices agat, Vicario Christi, jam repetitis vicibus, Apostolorum limina visitans, personaliter sua exhibuit homagia. Anno 1888 per Summum Pontificem LEONEM XIII Brevi Apostolico die 17. Aprilis, sub annulo Piscatoris emanato, inter Comites Romanos, Solio Pontificio Assistentes, et Suae Sanctitatis Praelatos domesticos relatus. Die vero 26 Novembris 1890 per suam Majestatem FRANCISCUM JOSEPHUM I. inter Intimos Suos Status Consiliarios recensitus.

Tandem, qua historica veritas, nequit hic silentio premi »Fundum Subsidiarium Pavelianum«, ita a generosi Fundatoris nomine nuncupatum, atque novis in dies accessionibus, rara prorsus parsimonia et industria acquisitis, auctum, atque locupletatum, eo jam Deo favente excrevisse, ut absque auxesi, tuto asseverari queat, hunc vel unum Episcopum, a quo praeest Dioecesi, longe plus augendis Foundationibus Dioecesanis contulisse, quam ab erecta Dioecesi, uno Saeculo, omnes Ejus in Sede Episcopali Decessores, una cum aliis Benefactoribus, simul sumpti,

contulisse comperti sunt. — Quem Deus diu praestet incolumem!

*

Ut autem cum EO huic Spicilegio, sive documentorum, Dioecesim respicientium collectioni, finis imponatur, a QUO sumpserat exordium: juverit nosse, Summum Pontificem LEONEM XIII, qua Christi in terris Vicarium, Constitutione Sua Apostolica »Orientalium dignitas Ecclesiarum« pridie calendas decembres 1894 emanata, Orientales Ritus, hoc prosequutum fuisse elogio: »In rituum »orientalium conservatione plus inest quam credi possit »momenti. *Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae »omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat.* Inde »enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa conjunctio. »*Neque aliud fortasse admirabilius est ad CATHOLICITATIS »notam in Ecclesia Dei illustrandam quam singulare, quod »ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum »consuetudine nobiliores; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est »nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti »verunt . . . adorare eum (Matth. II 1—2).* — Quo loco »illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi »per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, *eadem tamen viva profemodum exprimentur splendideque declarant.* Quapropter vera Christi »Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata »quae utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid »vel indulget in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant. Hoc etiam modo *et ejus vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius*

» *Christi sponsa excellit*, quam sanctorum Patrum sapientia
 » veluti adumbratam in effato agnovit davidico : ASTITIT
 » REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO,
 » CIRCUMDATA VARIETATE... IN FIMBRIIS AUREIS,
 » CIRCUMAMICTA VARIETATIBUS (Ps. XLIV.)« (Ex
 Archivio dioecesano Nr. 3135 ex 1894.) *

* Hanc documentorum, Dioecesim sive remotius sive proxime respicientium, hocque Spicilegium constituentium seriem, conguessit, postremique (1895) Schematismi inhaerens vestigiis, praededucta ratione disposuit, notisque occurrentibus et commentariis illustravit Dr. Augustinus Luran, Vicarius gen. episcopalis, Cathedralis Ecclesiae Canonicus.

SERIES EPISCOPORUM

DIOECESIS MAGNO-VARADINENSIS GRAECI RITUS CATHOLICAE.

A) *Episcopus Auxiliaris, sive Vicarius Ritualis Episcopi*
L. R. pro fidelibus Graeco-Catholicis :

MELETIUS KOVÁCS, pag. 21.

B) *Episcopi Dioecesani, sive Ordinarii Dioecesis :*

I. MOYSES DRÁGOSSY, pag. 23.

II. IGNATIUS DARABANTH, pag. 52.

III. SAMUEL VULCAN, pag. 60.

IV. BASILIUS L. BAR. ERDÉLYI, pag. 68.

V. JOSEPHUS PAPP-SZILÁGYI DE II.I.YÉS-
 FALVA, pag. 107.

VI. JOANNES OLTEANU, pag. 110.

VII. MICHAEL PAVEL DE PETERITYE, pag. 112.

NOMINA CAPITULARIUM

AB ERECTO EPISCOPATU ET CAPITULO, JUXTA SERIEM
DENOMINATIONIS.

1. Jacobus Aaron Praepositus Major, qua nominatus
Episcopus mortuus.
2. Joannes Simon.
3. Nicetas Horváth, Praepositus.
4. Georgius Farkas, Praepositus.
5. Paulus Bereghi.
6. Georgius Godsa.
7. Samuel Vulcanu, Episcopus M.-Varadiensis.
8. Simeon Magyari.
9. Alexius Pócsy, Episcopus Munkácsiensis.
10. Josephus Szilágyi, Abbas et praepositus Capituli.
11. Zacharias Szilágyi.
12. Simeon Dianu.
13. Joannes Radnóthy, Praepositus.
14. Joannes Corneli, Praepositus.
15. Nicolaus Vitéz.
16. Stephanus Gyng.
17. Michael Munteanu.
18. Basilius Kőváry.
19. Michael Talnács.
20. Dr. Nicolaus Borbola, Abbas et Praepositus Ca-
pituli.
21. Basilius Erdélyi, Episcopus M.-Varadinensis.
22. Basilius Christianu.
23. Joannes Pák, Abbas.

24. Dr. Alexander Dobra, Episcopus Lugosiensis.
25. Joannes Alexi, Episcopus Szamosujváriensis.
26. Dr. Josephus Papp-Szilágyi, Episcopus M.-Varadinensis.
27. Gregorius Kővári.
28. Theodorus Aaron, promotus in Praepositum Capituli Lugosiensis.
29. Dr. Joannes Vanca, Episcopus Szamosujváriensis, dein Archi-Episcopus et Metropolita Alba-Julien sis et Fogarasiensis.
30. Joannes Papp, Abbas.
31. Joannes Korhány, Abbas et Praepositus.
32. Basilius Nyisztor, Abbas.
33. Dr. Joannes Szabó, de praesenti Episcopus Szamosujváriensis.
34. Teodorus Kőváry, de praesenti Praepositus Major
35. Joannes Kuuk, Abbas.
36. Nicolaus Vulcanu.
37. Paulus Vela, Abbas.
38. Dr. Augustinus Lauran, Abbas, Praelatus Pontificius.
39. Arthemius Sarkadi.
40. Georgius Juhász.
41. Moyses Nyes.

VENERABILIS

CLERUS

ALMAE DIOECESIS GRAECI RITUS CATHOLICORUM
MAGNO-VARADINENSIS.

VENERABILE CAPITULUM

ECCLESIAE CATHEDRALIS GR. RIT. CATH.
MAGNO-VARADINENSIS.

Archi-Presbyter, seu Praepositus Major.

Reverendissimus Dominus THEODORUS KÖVÁRY, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Archi-Presbyter seu Praepositus Major et Canonicus, Examinator Pro-Synodalis, S. Sedis Consistorialis Assessor.

Archi-Diaconus, seu Lector.

Reverendissimus Dominus PAULUS VELA, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Archi-Diaconus seu Lector et Canonicus, Abbas tit. SS. Apostolorum Petri et Pauli de Kács, Archi-Diaconus Cathedralis, Examinator Pro-Synodalis, S. Sedis Consistorialis Assessor.

Primicerius, seu Cantor.

Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus AUGUSTINUS LAURAN, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Primicerius seu Cantor et Canonicus, Archi-Diaconus Marusiensis, Abbas tit. S. Augustini de Colocza, Suae Sanctitatis Summi Pontificis Praelatus domesticus, Vicarius et Causarum Auditor Ge-

neralis Episcopalis, SS. Theologiae nec non Philosophiae Doctor, Examinatorii Pro-Synodalis Praeses, Seminarii Domestici Rector, Praeparandiae Dioecesanae Director Exactoratus Dioecesani Consiliarius, Sectionis Litterariae et Scientifcae Societatis S. Stephani Membrum Electum, SS. Sedium Consistorialium Magno Varadinensis et Szamosújváriensis Assessor.

Ecclesiarcha, seu Custos.

Reverendissimus Dominus ARTHEMIUS SARKADI, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Ecclesiarcha, seu Custos et Canonicus, Archi-Diaconus Berettyóensis, Officii Exactoratus Dioecesani Praeses, Examinatorii Pro-Synodalis Vice-Praeses, Tribunalis Matrimonialis Consiliarius, S. Sedis Consistorialis Assessor.

Scholasticus, seu Professor Rituum.

Reverendissimus Dominus GEORGIUS JUHÁSZ, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Scholasticus et Canonicus, Archi-Diaconus Chrysiannus, Tribunalis Matrimonialis Praeses, Exactoratus Dioecesani Consiliarius, S. Sedis Consistorialis Assessor, Examinator Prosynodalis.

Cartophilax, seu Cancellarius.

Reverendissimus Dominus MOYSES NYES Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Cancellarius et Canonicus a Latere, Archi-Diaconus Lakságiensis, Cancellariae Dioecesanae Director, Examinator Prosynodalis, Defensor Vinculi Matrimonialis, Exactoratus Dioecesani Consiliarius, Supremus Scholarum Dioecesarum Inspector, S. Sedis Consistorialis Assessor.

CANONICUS HONORARIUS.

Reverendissimus Dominus JOANNES MAGA, Cathedralis Ecclesiae Graeci Ritus Catholicorum Magno-Varadinensis Canonicus Honorarius, Parochus Magno-Varadinensis, Districtus Gyiresiensis Vice-Archi-Diaconus emeritus, S. Sedis Consistorialis Assessor, Exactoratus Dioecesiani membrum, Examinator Prosynodalis.

Quinqué Canonicatus Honorarii vacant.

Archi-Diaconus Szatmáriensis extra gremium Capituli.

Reverendissimus Dominus FELICIANUS BRAN, Archi-Diaconus Szatmáriensis, Ecclesiae Civitatis Nagy-Károly pro parte Romanorum Parochus, Districtus ejusdem nominis Vice-Archi-Diaconus, et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector, S. Sedis Consistorialis Assessor, S. Theologiae Doctor, Exactoratus Dioecesiani membrum, Examinator Prosynodalis.

SACRA SEDES

CONSISTORIALIS GR. RIT. CATH. MAGNO-VARADINENSIS.

Praeses :

Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus Dioecesanus.

Causarum Auditor Generalis ac Vicarius Episcopalis :

Illustrissimus ac Revmus Dominus AUGUSTINUS LAURAN pag. 136.

Assessores :

Praeter supratitulatos Reverendissimos Dominos Canonicos Actuales et Honorarium, item Archi-Diaconum Szatmáriensem, juxta seriem denominationis.

Revmus D. PAULUS PAPP, Archi-Diaconus honorarius, parochus Vasadiensis et Districtus ejusdem nominis Vice-Archi-Diaconus emeritus.

A. R. D. JOANNES CHRISTIANU, Presbyter in deficientiam, Districtus Nagy-Léta Vice-Archi-Diaconus emeritus.

Revmus D. AUGUSTINUS ANTALU, Archi-Diaconus honorarius, Parochus Belényesiensis, Districtus ejusdem nominis Vice-Archi-Diaconus, ac per eundem Scholarum Vernacularum Inspector, Scholae capitalis gr. rit. cath.

Belényesiensis Director et Catecheta, Officii Exactoratus dioecesanii membrum.

Revmus D. SAMUEL BOTTA, Archi-Diaconus honorarius, Parochus Gyiresiensis, Vice-Archi-Diaconus emeritus Districtus Farnos, Exactoratus dioecesanii membrum.

A. R. D. JOANNES C. MOLDOVANU, Parochus Nyir-Adonyiensis, Districtus Vasad Vice-Archi-Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector, Tribunalis Matrimonialis Consiliarius, Exactoratus dioecesanii membrum.

Revmus D. PETRUS MIHUTIU, Archi-Diaconus honorarius, Gymnasii Belényesiensis Director et Professor p. o. emeritus, Cruce aurea cum corona pro meritis condecoratus, Parochus Várad-Olasziensis pro parte rom., Districtus Magno-Varadinensis Vice-Archi-Diaconus ac per eundem scholarum Vernacularum Inspector, Exactoratus dioecesanii membrum, Tribunalis matrimonialis Consiliarius, Examinator Pro-Synodalis, S. Sedis Consistorialis Lugosiensis Assessor honorarius.

A. R. D. JOANNES PAPP sen., Parochus Hollódiensis, ejusdem Districtus Vice-Archi-Diaconus, et Scholarum Vernacularum Inspector,

A. R. D. GABRIEL LAZARU de Purcariu, Parochus Szaniszlóensis, Districtus Érmellékiensis Vice-Archi-Diaconus, et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector, Licentiatus in SS. Theologia, Examinator Pro-Synodalis, Officii Exactoratus Dioecesanii membrum.

A. R. ac. Cl. D. JOANNES CICERONESCU, Archi-Diaconus honorarius, Parochus Barlafaluensis, SS. Theologiae necnon Philosophiae Doctor, Exactoratus dioecesanii membrum, Examinator Prosynodalis.

A. R. D. SYLVIUS REZEIU, Scholarum Comitatus Békés Supremus Reg. Inspector, Vice-Archi-Diaconus honorarius.

Revmus D. JOANNES BUTEANU, Gymnasii Belényesiensis Director et professor p. o. Archi-Diaconus honorarius, Officii Exactoratus dioecesanii membrum, Internatus Paveliani Rector.

A. R. D. GABRIEL PAPDANU, parochus Szent-Andrásiensis, Vice-Archi-Diaconus honorarius, Exactoratus dioecesanii membrum.

A. R. D. GEORGIUS MARINESCU, Gymnasii Belényesiensis professor, Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. BASILIUS LESIANU, Parochus Szt.-Miklósiensis, Gymnasii Belényesiensis professor emeritus.

A. R. D. MICHAEL DITIU, parochus Várad-Olasziensis ruthenorum, Tribunalis Matrimonialis Consiliarius, Exactoratus dioecesanii notarius, Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. ANTONIUS BÓNYI, Parochus Kécsiensis, Districtus Luncaënsis Vice-Archi-Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector

A. R. D. STEPHANUS POPU, Parochus Oláh-Ujfaluensis, Districtus Erdőszádaensis Vice-Archi-Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector.

A. R. D. JOANNES PAPP, Parochus Bokszegeiensis, Districtus Boros-Sebesiensis Vice-Archi-Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector.

A. R. D. GEORGIUS SIUTA, Parochus Kis-Uj-Majtényiensis, Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. ALEXANDER BOZINTANU, parochus Nagylakiensis, Districtus Makó Vice-Archi-Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector.

A. R. D. BASILIUS STEFANICA, Gymnasii Belényesiensis professor p. o., Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. SAMUEL CICERONESCU, Comptabilis penes Officiolatum administrationale foundationum dioecesanarum, Tribunalis Matrimonialis Consiliarius, Officii Exactoratus dioecesanii membrum.

A. A. D. ALEXANDER GERA, Exactor Domini Episcopalis Belényesiensis, Vice-Archi-Diaconus honorarius. Internatus Scholaeque puellarum civilis Gr. R. Cath. Belényesiensis Curator.

A. R. D. ANTONIUS PAPANU, parochus N.-Lé-
taensis proparte rom., Districtus Nagy-Léta Vice-Archi-
Diaconus et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector.

A. R. D. JOANNES BOROSIU, Parochus Makó, Di-
strictus Sebes-Körösiensis Vice-Archi-Diaconus emeritus,
Cruce aurea cum corona pro meritis condecoratus.

A. R. D. MARCUS D. PASCUTIU, parochus Vilá-
gosiensis, Districtus ejusdem nominis Vice-Archi-Diaconus
et per eundem Scholarum Vernacularum Inspector.

A. R. D. LAZARUS JERNEA, parochus Csomaközi-
ensis Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. BASILIUS DUMBRAVA, Gymnasii Belé-
nyesiensis professor p. o. Vice-Archi-Diaconus ad honores.

A. R. D. CORIOLANUS ARDELEAN, Gymnasii
Belényesiensis professor p. o. Vice-Archi-Diaconus honorarius.

A. R. E. THEODORUS BULCU, Gymnasii Belénye-
siensis professor p. o. Vice-Archi-Diaconus honorarius, In-
ternatus Paveliani Vice-Rector.

A. R. ac Cl. D. FLORIANUS STAN, Gymnasii
Belényesiensis professor p. o., Juris Canonici Doctor, Vice-
Archi-Diaconus honorarius.

A. R. D. TRAIANUS FARKAS, Gymnasii Belénye-
siensis professor p. o. Vice Archi Diaconus honorarius.

A. R. ac Cl. D. CORNELIUS BULCU H. T. Excellen-
tissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Dioecesani a Sec-
retis, S. Sedis Consistorialis H. T. Notarius SS. Theo-
logiae nec non Philosophiae Doctor, Exactoratus Dioece-
sani membrum, Vice-Archi-Diaconus honorarius, Examina-
tor Prosynodalis.

A. R. D. JOANNES GENTZ, Parochus Hájóensis,
Vice-Archi-Diaconus honorarius, Tribunalis Matrimonialis
Secretarius.

A. R. D. JOANNES CINCA Vice-Archidiaconus Ma-
darásziensis, Parochus Piskárkosiensis.

A. R. D. MICHAEL CIURDARIU Parochus Szamos-
Dobensis, Vice-Archidiaconus Szatmáriensis.

A. R. D. LUDOVICUS REZEI Parochus Alsó-Szo-
poriensis et districtus ejusdem nominis Vice-Archidiaconus.

A. R. D. STEPHANUS SIPOS Parochus Réviensis,
districtus Sebes-Körösiensis Vice-Archidiaconus.

Notarius Consistorialis H. T.

A. R. ac Cl. D. CORNELIUS BULCU ut supra.

Fiscus dioecesanus una et consistorialis:

Spect. D. DEMETRIUS KISS, fiscalis Dioecesanus,
Juris Communis et Cambialis advocatus, jurisprudentiae
doctor.

Medicus ac Chirurgus Dioecesanus:

Vacat.

Cursor Consistorialis:

Arcadius Papp.

TRIBUNAL MATRIMONIALE.

Praeses :

Revmus D. GEORGIUS JUHÁSZ, pag. 137.

Consiliarii :

A. R. D. JOANNES C. MOLDOVANU, pag. 140.

A. R. D. MICHAEL DITIU, pag. 141.

A. R. D. SAMUEL CICERONESCU, pag. 141.

Revmus D. PETRUS MIHUTIU, pag. 140.

Revmus D. JOANNES MAGA, pag. 138.

Defensor Vinculi Matrimonialis :

Revmus D. MOYSES NYES, pag. 137.

Secretarius :

A. R. D. JOANNES GENTZ, pag. 142.

EXAMINATORIUM PRO-SYNODALE

DIOECESANUM.

Praeses :

Illmus D. AUGUSTINUS LAURAN, pag. 136.

Examinatores :

Revmus D. THEODORUS KÖVÁRY, pag. 136.

Revmus D. PAULUS VELA, pag. 136.

Revmus D. ARTHEMIUS SARKADI, pag. 137.

Revmus D. GEORGIUS JUHÁSZ, pag. 137.

Revmus D. MOYSES NYES, pag. 137.

A. R. D. GABRIEL LAZARU de Purcarietiu, pag. 140.

Revmus ac Cl. D. FELICIANUS BRANU, pag. 138.

Revmus D. PETRUS MIHUTIU, pag. 140.

A. R. ac Cl. D. CORNELIUS BULCU, pag. 142.

Revmus D. JOANNES MAGA, pag. 138.

OFFICIUM EXACTORATUS

DIOECESANI.

Praeses :

Revmus D. ARTHEMIUS SARKADI, pag. 137.

Membra :

Revmus D. PETRUS MIHUTIU, pag. 140.

A. R. D. ANTONIUS BÓNYI, pag. 141.

A. R. D. JOANNES C. MOLDOVANU, pag. 140.

A. R. D. GABRIEL PAPDANU, pag. 141.

Revmus ac Cl. D. JOANNES, CICERONESCU, pag. 140.

Revmus D. SAMUEL BOTTA, pag. 140.

A. R. D. ALEXANDER BOZINTANU, pag. 141.

A. R. D. SAMUEL CICERONESCU, pag. 141.

Revmus D. JOANNES BUTEANU, pag. 140.

A. R. ac Cl. D. CORNELIUS BULCU, pag. 142.

A. R. D. GABRIEL LAZAR, pag. 140.

Revmus D. AUGUSTINUS ANTALU, pag. 139.

A. R. D. ALEXANDER GERA, pag. 141.

A. R. D. JOANNES GENTZ, pag. 142.

R. D. Petrus Popescu, pag. 151.

R. ac. Cl. D. Leontinus Pallady, pag. 151.

R. D. Demetrius Muresian, pag. 149.

Revmus D. JOANNES MAGA, pag. 138.

Notarius :

A. R. D. MICHAEL DITIU, pag. 141.

OFFICIUM

PRO ADMINISTRATIONE FUNDORUM ATQUE FUNDATIONUM DIOECESANARUM.

Perceptor:

Revmus D. ARTHEMIUS SARKADI, pag. 137.

Contra-Agens:

Revmus D. MOYSES NYES, pag. 137.

Comptabilis:

A. R. D. SAMUEL CICERONESCU, pag. 141.

Fiscus:

Spect. D. dr. DEMETRIUS KISS, pag. 143.

AULA EPISCOPALIS

UNA OFFICIUM DIOECESANUM.

Cancellariae Director:

Revmus D. MOYSES NYES, pag. 137.

H. T. Secretarius:

A. R. ac Cl. D. CORNELIUS BULCU, pag. 142.

Bibliothecarius:

Vacat.

Actuarius Archivarius et Protocollista:

R. D. Georgius Darabanth, Societatis Altaris Correspondens dioecesanus, Confraternitatis Sacerdotum adoratorum Promotor.

Caeremoniaris:

R. D. Demetrius Muresianu, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Dioecesani Caeremoniaris, Cathedralis Ecclesiae Diaconus, Cooperator Magno-Varadinensis et Scholae elementaris gr. rit. cath. Catecheta.

PUBLICA OFFICIA

IN RE LITTERARIA GERENTES E GREMIO CLERI
DIOECESANI.

Superior Scholarum Dioecesarum Inspector:

Reverendissimus D. MOYSES NYES, pag. 137.

IN EPISCOPALI GYMNASIO MAJORI GR. RITUS CATH.
BELÉNYESIENSI.

Professores:

Reverendissimus D. JOANNES BUTEANU, Director
et professor p. o., pag. 140.

A. R. D. GEORGIUS M. MARINESCU, Professor
p. o. pag. 141.

A. R. D. BASILIUS STEFANICA, Professor p. o.
pag. 141.

A. R. D. CORIOLANUS ARDELEANU, Professor p. o.
pag. 142.

A. R. D. BASILIUS DUMBRAVA, Professor p. o.
pag. 142.

A. R. D. TRAJANUS FARKAS, Professor p. o. pag. 142.

R. D. Victor Borlanu, Professor p. o.

R. D. Joannes Fersiganu, Professor p. o.

A. R. ac Cl. D. Dr. FLORIANUS STANU, Professor
p. o. pag. 142.

A. R. D. THEODORUS BULCU, Professor p. o. pag. 142.

R. D. Joannes Kéri, Professor p. o.

D. Nicolaus Fabianu, Professor p. o.

R. D. Elias Stan, Professor.
D. Joannes Jepure, Professor p. o.
Sp. D. Joannes Busitia, Professor.

Pedellus: Joannes Barbusiu.

Numerus Scholarium: 332.

IN R. INSTITUTO PRAEPARANDORUM AD MAGI-
STERIA DIOECESANO MAGNO-VARADINENSI.

Director:

Illmus ac Revmus D. AUGUSTINUS LAURAN
pag. 136.

Professores:

I. R. ac Cl. D. Leontinus Pallady, Vice-Rector
Seminarii domestici, Philosophiae Doctor, Licentiatu in S.
Theologia, Exactoratus Dioecesiani membrum.

II. R. D. Joannes Muresian, Seminarii Domestici
Praefectus Studiorum I.

III. D. Petrus Cupcea, Seminarii Domestici Prae-
fectus Studiorum II.

IN ARCHI-GYMNASIO MAGNO-VARADINENSI.

Doctrinae Religionis, item Linguae ac Litteraturae Romanae

Professor:

R. D. Petrus Popescu, Exactoratus Dioecesiani
membrum.

IN CATH. GYMNASIO MAJORI MAGNO-CAROLINENSI.

Doctrinae Religionis et Linguae Romanae Professor:

R. D. Ignatius Szabó, Cooperator M. Carolinensis.

ORPHANOTROFIUM

„PAVELIANUM“ BELÉNYESIENSE PRO EDUCANDIS
PUELLIS, CUM SCHOLA CIVILI CUNJUNCTUM.

Director:

A. R. D. BASILIUS STEFANICA, pag. 141.

Curator:

A. R. D. ALEXANDER GERA, pag. 141.

Professores:

Octavia Stoloianu.

Martha Jepuren Fabianu.

Angela Buteanu.

Helena Fabianu.

Cornelia Nicola.

Helena Buteanu.

Elias Stanu, pag. 151.

Joannes Busitiu, pag. 151.

SCHOLA SUPERIOR ELEMENTARIS GR. RITUS CATH.
ROMANA MAGNO-VARADINI.

Director:

Revmus D. JOANNES MAGA, pag. 138.

Catecheta:

R. D. Demetrius Muresianu, pag. 149.

Docentes:

D. Gabriel Páll, Docens Classis IV. et III.

D. Gregorius Torsanu, Docens Classis II. et I.

SCHOLA CAPITALIS GR. RIT. CATH. ROMANA BELÉ-
NYESIENSIS.

Director et Catecheta:

Revmus D. AUGUSTINUS ANTALU, pag. 139.

Docentes:

D. Paulus Vostinariu, Docens Classis IV.

D. Demetrius Fekete, Docens Classis III.

D. Joannes Gyelan, Docens Classis II. et I.

Dioecesis Magno-Varadinensis Graeci Ritus Catholicorum extenditur per Comitatus: Arad, Békés, Bihar, Csánád, Csongrád, Hajdu, Heves, Jász-Nagykun-Szolnok, Szabolcs, Szatmár et Szilágy.

Dividitur autem in VI. Archi-Diaconatus et 19. Vice-Archi-Diaconales Districtus; horum aequae ac Parochiarum, item Cooperaturarum series sequens est:

NOTA:

- ‡ Designat Ecclesiam Lat. Ritus Catholicam;
- † Ecclesiam Graeco-Orientalem;
- △ Oratorium Augustanae Confessionis;
- * Oratorium Helveticae Confessionis;
- Synagogam Judaicam.

I.

ARCHI-DIACONATUS
CATHEDRALIS.
IN COMITATU BIHARIENSI.

Archi-Diaconus:

Revmus D. PAULUS VELA, pag. 136.

1.

DISTRICTUS VICE-ARCHI-DIACONALIS
MAGNO-VARADINENSIS.
IN COMITATU BIHAR.

Vice-Archi-Diaconus:

Revmus D. PETRUS MIHUTIU, pag. 140.

Notarius Districtus:

A. R. D. JOANNES GENTZ, pag. 142.

Parochiae:

1. BEDŐ (Bedeu). Dist. a Sede Episcopali 23·7 km. Parochia erecta 1779. Eccl. e sol. materiali ad SS. Archangelos Michaeleni et Gabrielem. Domus paroch. e sol. mat. *Patronus* Venerabilis Praepositura Major Cathedralis Ecclesiae L. R. Magno-Varadinensis. Matriculae existunt ab anno 1785. Domus cantor. et scholaris e luto. Scholares 75. *Administrator*: R. D. Gabriel Bárdossy. *Cantor-Docens* Demetrius Szabó approb. pro ling. romana et hungarica

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	576	4	—	—	1	3	—
<i>In Filialibus</i> :							
Ártánd *	3	—	—	—	669	20	8·5
Bojt *	4	—	—	—	1030	24	2·8
Bors *	—	7	—	—	945	30	8·5
Ber.-Sz.-Márton †*	6	100	124	—	669	32	20·8
Berettyó-Ujfalu †*□	4	190	80	20	5230	510	23·6
Darvas †*	—	70	410	10	509	30	43·1
Furta †*	2	400	25	—	1340	50	32·7
Gáborján *	—	19	24	—	1360	24	11·3
Mező-Keresztes †*	12	220	149	14	2149	124	4·7
Mező-Peterd ††	4	200	460	—	100	30	9·5
Váncsod *	10	40	52	—	1480	79	9·4
Vekerd †	—	10	370	—	8	4	37·8
Zsáka †*	3	130	640	—	1780	180	32·2
<i>In Praediis</i> :							
Gyürüszeg	—	16	—	—	—	—	8·5
Nagy-Zomlin	10	24	20	—	15	—	6·5
Kis-Zomlin	—	20	10	—	—	—	6·5
Miklósy	—	4	—	—	—	—	7·7
Szabó (olim Ázsy)	—	8	—	—	—	—	7·7
Summa:	634	1462	2364	44	17285	1140	

Lingua romana. — Posta ult. Nagy-Kereki. — Statio teleg. Nagyvárad. — Statio viae ferreae Mező-Keresztes.

2. BETFIA. Dist. a Sede Episcopali 11·4 km. Parochia erecta 1779. Eccl. e sol. mater. ad Annuntiationem B. Mariae Virginis. Domus paroch. e sol. mat. *Patronus* Venerabilis Praepositura S. Stephani Protomartyris de Promontorio Varadinensi. Matriculae existunt ab anno 1800. Domus cantor. et scholaris e sol. mat. Scholares 61. *Administrator* R. D. Basilius Plastinu. *Cantor-Docens* Joannes Farcasiu approb. pro ling. romana.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	349	—	—	—	—	3	—
<i>In Filialibus</i> :							
Alma-Mező †	5	—	459	—	—	7	3·8
Harang-Mező †	—	—	756	—	—	5	8·5
Szent-Elek †	2	—	385	—	—	3	3·8
<i>In praedio</i> :							
Vadász	—	—	3	3	—	—	2
Summa;	356	—	1601	3	—	18	

Lingua romana. — Posta ult. Pecze-Szöllös. — Statio teleg. et viae ferreae Nagyvárad.

3. CSEHI (Ciheiu). Dist. a Sede Episcopali 7·6 km. — Parochia restaurata 1857. Eccl. e sol. mat. ad SS. AA. Michaeleni et Gabrielem. Domus Paroch. e sol. mat. *Patronus* Fundus Religionis. Matriculae existunt ab anno 1810. Domus cantor. et scholaris e sol. mat. Scholares 85. *Administrator* R. D. Georgius Sfurlea. *Cantor-Docens* Josephus Papp approb. pro ling. romana et hungarica.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	652	10	3	1	7	4	—
<i>In Filiali</i> :							
Pecze-Szent-Márton †	8	139	25	—	12	21	3

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In praedio:</i>							
Abriháza	6	—	—	—	—	—	2·5
<i>In educillo:</i>							
Balogrét	4	—	—	—	—	—	2
Summa:	670	149	28	1	19	25	

Lingua romana. — Posta ult. Pecze-Szöllös. — Statio telegr. et viae ferreae Nagyvárad.

4. **GYIRES** (Girisiu). Dist. a Sede Episcopali 16·3 km. — Parochia erecta 1779. Eccl. e sol. mat. ad Nativitatem D. N. I. Christi. † Domus paroch. e sol. mat. Patronus Eminentissimus ac Reverendissimus D. Dr. Laurentius Schlauch Cardinalis Episcopus L. R. Magnovaradinensis. Matriculae existunt ab anno 1792. Domus cantor. et scholaris e sol. mat. Scholares 48. Parochus Revmus D. Samuel Botta pag. 140. Cantor-Docens Georgius Munteanu approb. pro ling. romana et hung.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre:</i>	438	17	578	—	1	21	—
<i>In Filialibus:</i>							
B.-Böszörmény *	15	26	85	—	2816	137	9·5
Körösszeg †	10	3	700	—	5	13	6·6
Komádi *	4	80	144	3	3915	109	24·6
K.-Tarján ††	40	727	475	—	16	20	1·6
M.-Apáti †*	15	16	798	—	658	5	20·2
M.-Homorog *	5	17	73	—	1075	47	19·9
N.-Harsány *	6	—	—	—	1348	19	13
Okány *	2	20	10	—	1849	93	42·4
Szakál †*	10	36	497	—	196	27	16·1
Ugra *	3	19	15	—	1917	21	18·8
Vizes-Gyán †	50	2	590	—	3	10	5
<i>In Praediis:</i>							
Ácsi	10	6	113	—	8	25	3
T.-Bessenyő	20	—	50	—	10	6	7·3
Cserepes	20	8	80	—	7	8	2·5

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
Nyésta	—	5	95	—	10	—	24
P.-Peterd	10	—	—	—	—	—	19
Petlend	—	6	—	—	—	—	20
Somolyom	—	14	13	—	30	2	23·5
Tamási	10	—	—	—	—	—	4·5
Told	—	—	2	—	—	3	17
Tóti	10	2	—	—	—	—	18
Summa:	678	1004	4319	3	13864	566	

Lingua romana. — Posta ult. K.-Tarján. — Statio telegr. et viae ferreae in loco.

5. **HÁJÓ** (Haieu) Dist. a Sede Eppali 8·5 km. — Parochia erecta 1779. — Eccl. e sol. mat. ad SS. AA. Michaellem et Gabrielem. Domus paroch. e sol. mat. Patronus Eminentissimus ac Reverendissimus D. Dr. Laurentius Schlauch Cardinalis Episcopus L. R. Magnovaradinensis. Matriculae existunt ab anno 1810. Domus cantor, et scholaris e sol. mat. Scholares 43. Parochus A. R. D. JOANNES GENTIU, pag. 142. Cantor-Docens Elias Papp approb. pro lingua romana et hungarica.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre:</i>	290	13	—	—	14	8	—
<i>In Filialibus:</i>							
Alpár †	—	24	790	—	—	9	7·6
Rontó †	43	13	328	—	4	12	1·9
Nagy-Kér †	7	12	358	—	—	4	3·8
Kis-Kér †	—	—	470	—	4	2	5·6
<i>In Thermis:</i>							
Episcopalibus sacell. †	8	8	2	—	5	—	0·5
Felicianis	3	16	—	—	4	—	1
<i>In diversorio:</i>							
Farkas-Csapszék	—	—	—	—	—	4	1
<i>In mola:</i> Hájó	—	—	—	—	—	—	1
Summa:	351	86	1948	—	31	39	

Lingua romana. — Posta ult. Pecze-Szöllös. — Statio teleg. Nagyvárad. — Statio viae ferreae Rontó.

6. **KARDÓ** (Cordau). Dist. a Sede Eppali 12·3 km. — Parochia erecta 1760. Eccl. e sol. mat. ad SS. Archangelos Michaellem et Gabrielem. Domus paroch. e sol. mat. *Patronus* Eminentissimus ac Reverendissimus D. Dr. Laurentius Schlauch Cardinalis Episcopus L. R. Magno-Varadinensis. Matriculae existunt ab anno 1760. Domus cantor. et scholaris e sol. mat. Scholares 153. — *Parochus* R. D. Antonius Fritea. *Cantor-Docens* Traianus Muresian approb. pro lingua romana et hungarica.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	744	—	—	—	6	6	—
<i>In Filiali</i> :							
Nyárló †	2	8	601	—	—	7	
Summa:	746	8	601	—	6	13	

Lingua romana. — Posta ult. loco. — Statio teleg. Nagyvárad. — Statio viae ferreae loco.

7. **MAGNO-VARADINUM** (Oradea-Mare, Nagyvárad). Sedes Episcopalis. Parochia erecta 1844. Ecclesia Cathedralis una Parochialis e sol. mat. ad S. Nicolaum Archi-Episcopum Myrensem, † † et Sacellum L. R. †. Δ * □. Domus Parochialis e sol. mat. — *Patronus* Venerabile Capitulum L. R. Magno-Varadinense. Matriculae existunt ab anno 1760. Domus schol. e sol. mat. Scholares 69. *Parochus* Revmus D. JOANNES MAGA pag. 138. *Cooperator* R. D. Demetrius Muresianu, pag. 149. *Cantor* Georgius Ciora-Varju. *Docentes vide* pag. 152. *Cantor subsid.* D. Gregorius Torsanu.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	HC.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	700	2852	600	282	2916	2503	—

G.R.C. L.R.C. G.O. A.C. H.C. Isr. Dist. a
Matre km

In Suburbis:

Téglavető (Sacellum ad S. Nicolaum), Csillagváros, V.-Velence et Váralja † † □	610	1700	428	17	1123	2900	—
--	-----	------	-----	----	------	------	---

In Filialibus:

M.-Telegd † † * □	9	275	360	—	864	250	22·8
Pecze-Szöllös †	33	492	18	20	45	10	3·5
F.-Vásárhely † † *	23	260	352	—	205	16	8·5
Száránd †	—	8	520	—	—	8	19
Kigyik †	—	2	430	—	—	7	20
Borostelek †	—	—	398	—	4	5	27
Telkesd †	—	1	542	—	—	6	19
Pósalaka *	4	14	88	5	382	5	23

In praediis:

Össi	5	21	80	—	26	—	0·5
Wolf	5	—	—	—	—	—	6·0
Szálka	4	—	—	—	—	—	0·5

Summa: 1393 5625 3816 324 5565 5710

Lingua romana. — Posta, Statio teleg. et viae ferreae in loco.

8. **NAGY-SZÁNTÓ** (Santal-Mare). Dist. a Sede Eppali 16·6 km — Parochia erecta 1780. Eccl. e sol. mat. ad SS. AA. Michaellem et Gabrielem *. Domus paroch. e sol. mat. *Patronus* Fundus Religionis. Matriculae existunt ab anno 1800. Domus cantor. et scholaris e lupt. Scholares 18. *Administrator* R. D. Victor Szeremi. *Cantor-Docens* Petrus Secula approb. pro lingua rom. et hung.

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
<i>In Matre</i> :	123	18	3	—	410	9	—
<i>In Filialibus</i> :							
Bihar † *	23	300	30	—	1562	70	9·5

	G.R.C.	L.R.C.	G.O.	A.C.	H.C.	Isr.	Dist. a Matre km
H.-K.-Kovácsi *	8	50	5	—	675	30	11.5
Kis-Szántó *	34	4	15	—	381	18	3.5
Nagy-Kereki *	46	45	5	—	1879	40	4.5
Nyüved *	26	4	4	1	500	10	24.3
Pap-Tamási *	20	5	4	—	802	9	19
Pelbárthida †*	34	20	454	4	430	15	16
Tóttelek ‡	10	367	5	—	27	7	19.9
<i>In praediis:</i>							
Adámi	10	1	5	—	10	—	7
Beöthy	—	—	—	—	—	—	—
Éva-Sára	6	—	—	—	10	—	10
Homok	20	36	8	—	28	2	1
Komocsó	11	3	4	—	6	—	6.5
Kügy	16	—	—	—	—	—	8
Nagy-marja	60	16	15	—	—	—	9
Régeny	38	—	16	—	—	6	4
Vay	20	—	—	—	—	—	15
Summa	505	869	573	5	6711	216	

Lingua romana — Post. ult. Nagy-Kereki. — Statio
telegr. et viae ferreae Bihar.

9. NAGY-ÜRÖGD (Nogioridu). Dist. a Sede Eppali
7.5 km. Parochia erecta 1730. Eccl. e sol. mat. ad
Assumptionem B. Mariae Virginis. Domus paroch. e
sol. mat. *Patronus* Eminentissimus ac Reverendissimus
D. Dr. Laurentius Schlauch Cardinalis Episcopus L. R.
Magno-Varadinensis. — Matriculae existunt ab anno 1780.
